COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XVI. PARS IV.

LIPSIAE MDCCLXXI.
APVD IO. FRIDERICVM GLEDITSCH
Venduntur etiam
Amſtelodami apud I. Schreuder, Londini apud Io. Nourſe, Pariſiis apud Briaſſon, Patauii apud Io. Manfré, Holmiae apud L. Saluium.



I.

Verhandelingen uitgegeeuen door de Hollandſche Maatſchappye der Weetenschappen te Haarlem. Zeuende Deel eerſte Stuk 1763. tweede Stuk 1763. Te Haarlem by I. Boſch. 8. 2 Alph. 7 pl. cum 9 tab. aen.

i. e.

Commentarii ſocietatis ſcientiarum Harlemenſis. Tom. VII. P. I. et II.

In parte prima huius voluminis ſequentes continentur commentarii:

1.) *Diſquiſitiones in aequilibrium vectis, per varias transuerſim operantes vires acti*, Auctore Cl. I. T. HENNERT, ex latino translatae a Cl. BLASSIERE. p. 1.

2.) *Problemata ſuper niſu corporum, eorum praecipue, quae grauitatem habent imperfectam* Auctore EODEM, ex lingua Gallica translata a Cl. BLASSIERE. p. 20.

3.) *Continuatio diſſertationis ſuper cauſſis variarum in recens natis infantibus herniarum* Auctore Cl. PETRO CAMPER. Cum Cl. Auctor tractatum p. 58.

de cauſſis variarum in recens natis infantibus herniarum a. 1760 ſocietati traderet*), paulo vero poſt ex noſtris commentariis de rebus in ſcientia naturali ac medicina geſtis **) perſpiceret, Cl. PERCIVAL POTTIUM a. 1757 in relatione de ſingulari herniae ſpecie (*an account of a particular kind of rupture*) iam de eadem materia egiſſe, varias rationes refert, quibus, cum vterque tractatus adeo inter ſe conueniat, declarare auſit, ſe ex POTTII fontibus non hauſiſſe ***). Inter quas ea attendi meretur, vbi priore tractatione dixit, ſe quidem a. 1756 meatum, ibi deſcriptum, negaſſe, hyeme vero eiusdem anni detexiſſe, adeoque ante POTTII communicationem. Meatum vero, per quem teſtes ad ſcrotum deſcendunt, iam prius cognitum fuiſſe, ex libro LUD. RENEAULME, qui a. 1727 ex Latina in Belgicam linguam translatus per I. VAN DER HULST prodiit****), probat, ibi vero praeternaturalem iudicari addit. BLANCARDUM *****) SWAMMERDAMUM ******) et HALLERUM ipſum *******) idem

*) Vid. *Verhandelingen* Vol. VI. p. 235 ſequ. et Comm. noſt. Vol. XII. p. 269. ſeq.

**) Vid. Vol. IX. p. 55.

***) De hoc inuento in vniuerſum et lite hac de re inter POTTIUM et HUNTEROS orta confer Cel. IO. HUNTER *Medic. Comment.* I. p. 70 et 75 ſequ. vide Comment. noſtr. Vol. XI. p. 288.

****) Titulum huius libri non addit Cel. CAMPERUS. Eſt vero: *diſcours pour l'ouverture de l'ecole de Chir. avec une theſe, ſur ce titre: Eſſay d'un traité des hernies par* MICH. LUD. RENEAULME DE LA GARANNE. Paris 1726. 12. mai.

*****) In *inſtitutionibus chirurgicis* P. II. vide EIUSD. *Oper.* p. 385.

******) *Miracul. natur.* p. 7.

*******) In *Praelect. Boerhav.* T. V. P. I. p. 190. not. o. Confer quoque EIUSDEM progr. *de herniis congenitis* (vid. *oper. min.* T. III. p. 311. ſeq.) et *elem. phyſ.* T. VII. lib. XXVII. p. 413. ſequ.

idem ſenſiſſe. EX POTTIO quaedam, quae cum ſuis conueniunt, transfert, et (Hunteriana enim inuenta non, dum haec ſcribebat, ad eum peruenerant), ſubſumit, illum aeque ac ſe inuentorem huius meatus iure dici debere. Iconem fetus ſex menſium adiecit; vbi quatuor diſtinctis figuris meatum hunc varia facie oſtendit, et, additis quibusdam exemplis, quae 1763 diſquiſiuit, concludit: hos meatus non hernias ſequi, ſed in infantibus recens natis ſemper adeſſe, et demum poſt duos vel plures annos ex aliis cauſſis concreſcere. In puellis ſimilis fere vagina et meatus adſunt, circa ligamentorum rotundorum exitum, a NUCKIO *diuerticulorum* nomine deſcripti. p. 66.

4.) *Tractatio de auditu piſcium ſquamoſorum* auctore EODEM. Cum inter Auctores multum de auditu piſcium ſquamoſorum fuerit diſputatum, eorumque plurimi eum negauerint, aliis ad organi auditus, vel neruorum auditoriorum defectum, aliis ad linguam iis mutam prouocantibus; Cl. Auctor paulo ſtudioſius in eam rem inquirit, et ad quaeſtionem Cl. NOLLET: an piſcibus organa auditus data ſint? et an fluidum ad radios ſonoros excipiendos ſit aptum? ita reſpondet, vt primo de cerebro, nervis et organo auditus piſcium agat, et deinde ſuper modo audiendi eorum diſſerat. Vſus vero eſt potiſſimum ad hanc diſquiſitionem aſello, lucio piſce et raia, huicque deſcriptioni in vniuerſum duas tabulas aeneas adiecit, in quibus ſingulae partes deſcriptae eleganter delineantur. De rotundorum tantum piſcium organo hic loquitur, omnibus fere ſimili, cum planorum organa varient. Cranii ſuperiorem partem, ad ductum CASSERII, inſtrumento abſtulit. Caput vero medium longitudinaliter ſerra diuiſit, quo organa melius inſpiceret. Omiſſis, quae de cerebro p. 79.

rebro horum piſcium marinorum in vniuerſum habet, quae cum deſcriptione cerebri piſcium nonnullo-
p. 94. rum, in aquis dulcibus viuentium, ab Ill. HALLERO exarata *), ſatis conueniunt, notamus: neruos piſcium neruis reliquorum animalium fere ſimiles eſſe. Primum par duplex eſt, craſſius ex lobi cerebri anteriore parte oritur, tenuius ex laterali: ſecundum par planum magis eſt, taeniaeque latae ſimile, quod ex fundo cerebri incipit, et ita procedit, vt dexter ner-
p. 95. vus ad dextrum, ſiniſter ad ſiniſtrum oculum pertineat, neque hi duo nerui ſe decuſſent, licet inter ſe vniantur. Tertium par ex corporibus pyramidalibus et quartum ex teſtibus ortum habet: quintum ex medulla oblongata et ſextum ex laterali parte corporum pyramidalium naſcitur. Inter tertium et ſextum ortum euidentem habet ſeptimum par, quod ſtudioſe Cel. CAMPERUS depinxit **): octauum tandem et nonum par ex medulla oblongata exeunt.
p. 99. Extra caput neruorum iter non proſecutus eſt. Piſcium ſquamoſorum plurimis duplex orificium narium eſt, alterum ſemper apertum, alterum valuula et canali ſubſequente mobili inſtructum, quo aquam in hoc orificio mouere, et odoratum per fluidum hoc communicatum, eo melius poſſint percipere. Sunt, qui his orificiis auditum tribuant, quod
p. 100. Cl. Auctor negat. Organon vero auditus expoſiturus, inprimis illud, quale in aſello piſce eſt, deſcribit, et varietates, in aliis piſcibus obſeruandas, addit. In hoc piſce, capite medio diuiſo, inuenit, organon auditus a cerebro ſeparari membrana flexili, pellucida, tremula, quae canalibus quoque ſemicircularibus annexa eſt. Conſtat vero illud primo ex cauo

*) Ill. HALLERI obſeruationes vide in *elem. phyſ.* T. IV. p. 595. et *oper. minor.* T. III. p. 191. vide Comment. noſtr. ſuperius p. 431.

**) Vid. Tab. II. fig. 1 et 2.

cauo amplo oſſeo, tribus canalibus inſtructo, qui in capſulis ſemicircularibus cartilagineis, inferius deſcribendis, ſedem habent. In ea quoque cauitate pons ſiue iugum oſſeum inuenitur, quod aperturam format, quae quidem ad ſecundam cauitatem ducit, membrana tamen obducta eſt. Secundo ex foſſa cartilaginea, nauiculae ſimili, membrana nigricante inueſtita, in qua oſſiculum auditus petroſum, nullibi annexum, continetur. Tria eiusmodi oſſicula in lucio piſce inueniuntur. In inuolucrum huius cauitatis neruus ſeptimi paris, ramis ſenſim minoribus, diſtribuitur. Tertio ex tribus canalibus ſemicircularibus cartilagineis, in quos rami paris quinti et ſeptimi intrant, qui etiam interius membranis tenuibus inueſtiuntur.

In altera ſectione Cl. CAMPERUS in modum p. 107.
audiendi inquirens, quaerit, an non tremor aquae, vel preſſione corporis, vel venti, vel per radios ſonoros, poſſit cum cranio communicari? et an non oſſiculum auditus liberum, vel nerui, tremore hoc poſſint affici, et exinde auditum producere? Prouocat ad experimenta cum cylindro metallico, chorda, vel campana, vt conſtet, motum tremulum aëris ſonum dare et cum corporibus elaſticis poſſe communicari, et, quo firmiora ſint corpora, eo fortiorem quoque ac clariorem eum fore putat, quod ex horologio portatili probat, cuius ictus eo clarius audiuntur, quo durior eius eſt baſis. Hunc tremorem aëris et fluidum tranſire, ibidemque auditum hominis efficere, vt ex Cl. NOLLET variis tentaminibus patet, aſſerit: an vero idem tremor aëris cum piſcibus ſquamoſis poſſit communicari, in eisque auditum producere, cum nec cranium eorum integumentis mollibus, nec organon auditus apertura et meatu externo ſint inſtructa, Auctor Cl. ipſe diſquiſiuit. Cum enim glaciem, pra- p. 106.
tis, aqua tecta, obducentem, ictu percuteret, plan- p. 114.

tas ſubiacentes valde motas vidit, ex quo colligit: corpora, in fluido libera, ictu moueri: hanc vim celeritati elaſticae, maſſa corporis auctae, reſpondere: vim eandem conuenire debere integumentis horum
p. 115. corporum. His ad piſces ſquamoſos applicatis, concludit: organa eorum tremore aquae affici, affectumque ſenſum auditus verum excitare.

p. 118. 5.) *Diſquiſitio herniae inguinalis duplicis* Auctore Cl. PAULO DE WIND. Haec hernia non inguinalis, ſed potius cruralis fuit. Obſeruauit vero eam Cl. Auctor in foeminae quadragenariae cadauere, quae in vtroque latere hoc morbo laborauerat. Hernia dextra pyri magnitudinem habuit, ſiniſtra nucis iuglandis. Oriebantur ſub ligamento FALLOPII iuxta vaſa cruralia, vbi haec vaſa inter et integumenta cutanea in pinguedine ſedem habebant, et hoc modo a bubonocele diuerſae erant. Dextra colore erat violaceo, deorſum latior, ſurſum in apicem abiens et ſub faſcia lata et ligamento FALLO-
p. 120. PII deliteſcebat. Inter varia, quae Cl. Auctor, abdomine aperto, inuenit, praeternaturalia ea merentur attendi: ventriculum ad tres digitos depreſſum, et arcum, quem colon transuerſum ſupra vmbilicum format, ſub vmbilico inuerſum fuiſſe: cum omento ſimul partem inteſtini ilei in ſaccum intraſſe, eamque ſphacelo corruptam fuiſſe: tandem ex compreſſione huius inteſtini nec flatus, nec faeces ad craſſa tranſire potuiſſe, ideoque tenuia valde tumida, et craſſa praeter modum tenuia viſa eſſe. Obſeruatio Auctoris hernias crurales in feminis frequentiores, in viris rariores eſſe, iam multorum aliorum ſcriptorum teſtimonio confirmata eſt.

p. 124. 6.) *Obſeruatio herniae vmbilicalis incarceratae*, Auctore EODEM. Femina 57 annorum, obeſa, hernia

hernia vmbilicali capitis magnitudine laborans, ante 20 annos paruam intumeſcentiam circa vmbilicum cum dolore ſenſerat, quae vero mox euaneſcens, mox rediens, ante aliquot ſeptimanas, non, vt antea conſueuerat, poſſet reprimi, vt adeo aegra, per quinque dies, ceſſantibus deiectionibus aluinis, vehementiſſimos perciperet dolores. Saccus ipſe valde p. 125. inflammatus erat, clyſmatibus aliisque in et externis remediis fruſtra tentatis, tertia die ſphacelo corruptus, paulo poſt duo orificia ad palmam manus ampla, per quae et flatus et faeces, inſigni foetore exirent, oſtendebat. His orificiis turundas Cl. Auctor, cum vnguento digeſtiuo et Aegyptiaco applicauit, interpoſitis clyſmatibus, per quae ſphaceloſum ſeparabatur, et ſymptomata cedebant. Die 3. febr. infuſo p. 126. ex rhabarbari ℈ij dato liquidae feces ex orificiis, et durae ano euacuebantur. Quotidie deinde balſamo LOCATELLI ſaccharo excepto propinato, paullo poſt, excretionibus inſuper aluinis rite ſuccedentibus, circa finem martii aegra ſanata eſt, orificio ſiniſtro hactenus pauliſper aperto, per quod flatus exeuntes magnum feminae adferunt ſolamen.

7.) *Obſeruatio ſuper hernia omentali ſecta* Auctore EODEM. Vir quidam, 35 annorum, iam inde ab anno decimo octauo hernia in inguine dextro laborabat, ad ſcrotum interdum tendente, quam vero reprimere potuit vſque ad annum 1760, vbi, inteſtino tantum cedente, omentum non poterat coërceri, ex quo, cum vomitu frequentiori, doloribus vehementiſſimis afficeretur. Medio vero maii a. 1761 p. 130. inteſtinum rurſus prodiens, ſcrotum ita tumidum reddidit, vt, eo etiam retrogrediente, ad capitis magnitudinem veniret, nec aeger vlli officio praeeſſe poſſet. Operatione ab aegro conceſſa, eam Noſter cum chirurgo et alio ſocio ſuſcepit. Sacco, vt p. 131.

decet, diſſecto, omentoque deorſum et a latere ſoluto, id, brachii infantis craſſitiem aequans, annulo accretum inuenit. Hoc, acu curua cum duobus filis, cera obductis, ligato, in ſaccum ſcrotumque iterum locauit, reſecta quadam ſacci parte. Vulnus linteis carptis expleuit, faſciaque comprimente, quae crucis figuram habebat, firmauit. Poſtero die, maſſa hac, intra ligaturam, cum aliqua haemorrhagia reſecta, aeger melius ſe habuit. Haec omenti pars, in aqua a ſanguine liberata, puram pinguedinem oſtendens, librae pondus habuit, quod
p. 134. Auctor Cl., icone adiecta, illuſtrat. Poſtea aeger inſultu febrili noctis tempore, qui vero diei ceſſaret, afficiebatur. Suppuratione facta, turundas vnguento baſilico cum praecipitato rubro et alumine
p. 135. vſto quouis die applicuit. Die 16 iul. filis ſolutis, vulnus paullo poſt occalluit, vt, aeger reſtitutus, faſcia per aliquod tempus relicta, officiis fungi poſſet conſuetis.

p. 136. 8.) *Obſeruationes pleniores ſuper cauſa et effectu motus maris* die 1 nou. 1755. Auctore Cl. I. FR. DRYFHOUT.

p. 215. 9.) *Hiſtoria naturalis piſcis* Kin-yu *ſiue* cyprini aurati, Auctore Cl. IOB. BASSERO *).

p. 247. 10.) *Tractatio plenior de contagio bouino, comparata cum obſeruationibus, quae in* commentarios Societatis Tom. VI. Part. II. p. 955. *inſertae ſunt* **), Auctore Cl. I. ENGELMANN. Pertractat Cl. Auctor paulo curatius hoc contagium, ita, vt ex variis phaenomenis ad ſigna eius anamneſtica, diagnoſti-

ca,

*) Exſtat iam in EIUSD. *opuſcul.* T. II. Lib. II. p. 75. vid. Comment. Vol. XV. p. 77.

**) Vid. Comment. noſtr., Vol. XII. p. 285.

ea, et prognoſtica tranſeat, ex his ad cauſſam concludat, et ſimul in naturam eius et indolem inquirat, et remedia tandem conuenientia commendet. Signa haec fuſius enarrat, et obſeruationibus, quas ipſe inſtituit, copioſis illuſtrat. Ex ſignis his et ſymptomatibus in variis aegris variis, prognoſes formatat, ad actionum potiſſimum vigorem attendens: bonam auguratur, ſi actiones iuſte reſpondeant, ſi minus, malam. Criſes, per abſceſſus et tumores ſubcutaneos, ex obſeruationibus ſuis non inuenit, multo minus vt RAMAZZINI et LAYARD diem criticum certum conſtituere valet. Sanguinem, e vena miſſum, nec in initio contagii, nec in ipſo eius progreſſu vllam inflammationem indicare. Ex ſectione cadauerum vehementiam morbi, eiusque cauſſam et indolem clarius pateſcere, ex quibus colligit, cum febre aliqua putrida conuenire, aliorumque contagiorum conditionibus, cum hoc comparatis, ſtatuit: venenum hoc contagioſum ſubtiliſſimam eſſe materiam, quae, breui per totum corpus percurrens, etiam firmiſſimam beſtiam peruertat: ſingularem eius eſſe naturam, nec cum grauedine epidemica, nec cum variolis, vel cum peſte, aut purpura conuenire; optime vero conferri poſſe cum morbillis, licet effectus non idem ſit, quod vero ex diuerſa hominum et beſtiarum fabrica declarat. Ad cauſſas occaſionales et praediſponentes accedens, eas in paſtum, potum vel aërem ponit, ad quas varias officinas, glutini coquendo vel exſiccando dicatas, refert, nec non eas, vbi pigmentum caeruleum, Berolinenſe dictum, paratur, vel coria tractantur, vel vbi denique candelae ſebantur, quibus omnibus aër admodum inficiatur. Nunc ad remedia, quae fuſius pertractat, tranſit, nimirum, quae potiſſimum efficaciam veneni contagioſi vel infringant, vel prorſus deſtruant. Praecipit itaque, 1. vt

p. 250.
p. 260.
p. 263.
p. 266.
p. 278.
p. 288.
p. 295.
p. 310.

cor-

corpora boum ita adaptentur, ne contagium facile excipiant 2. vt aër, agri, ſtabula vel aqua a contagio putrido purgentur 3. vt contagium, initio eius, ſi vel noſtra, vel proxima infecta ſint, domicilia, ſtatim ſupprimatur. 4. vt a bouibus, ſi ſigna inſtantis contagii iam adſint, vlterior contagii propagatio auertatur, vel vt venenum eiiciatur prius, quam ad viſcera nobiliora perueniat. 5. vt, beſtiis iam decumbentibus, quid ad conſeruandam earum vitam faciendum ſit, excogitetur. 6. vt, morbo ſuperato, eae ab exulcerationibus, vel aliis morbi ſequelis, tu-
p. 311. tae reddantur. Regimen aptum perſequitur, pabulis iuſto ordine parandis, et excretionibus, vel mo-
p. 316. tibus rite inſtituendis. Inſitionem veneni contagioſi, etſi a multis commendetur, diſſuadet. Venaeſectiones largas non probat, parcas vero vel in raninis, vel ad canthum oculi, vbi inflammatio clarius prodeat, inſtituendas eſſe, ſic et purgantia dra-
p. 332. ſtica non commendat. Cum vero, contagio praeſente, veraque eius indole incognita, ſpecifica non dentur, ea, quae in primas vias, quaeque in ſecun-
p. 339. das agant, ordine recenſet. Morbo iam graſſante, ſuadet, vt 1. debiles vires roborentur, 2. partes inflammatae, valdeque ſenſiles, vt ventriculus, inteſtina cet. liberentur 3. vt materia putrida reſoluenda per excretionem expediatur magis, quam impediatur 4. vt aër purgetur, et foetor, quantum fieri pot-
p. 342. eſt, expellatur. Nec minus ea explicat, quae, poſt conualeſcentiam, contagii regreſſum, vel alia incommoda,
p. 344. morbum ſequentia, auertant. Problemata tandem, ex ſupra dictis ſoluenda, adiecit, cum appoſitis emendationibus obſeruationum Tom. VI. Part. I. inſertis.

p. 350. 11.) *Obſeruatio eclipſis lunae* d. 8. maii 1762 Lugduni *inſtituta* a Cl. IO. LULOFS.

12.) *Ob-*

12.) *Obſeruatio eclipſis ſolis* d. 17 oct. 1762 Lug- p. 353.
duni facta ab EODEM.

13.) *Obſeruatio eclipſis lunae* d. 1 nou. 1762 ibi- p. 358.
dem ab EODEM inſtituta.

14.) *Epiſtola ſuper iride lunae ad Secretarium hu-* p. 361.
ius Societatis Auctore Cl. I. VAN LIER.

15.) *Relatio vulneris inteſtinalis, per cauſſam in-* p. 366.
ternam letalis, Auctore Cl. IAC. VAN EEMS.
Quamquam haec vulnera iamdudum ab HIPPOCRATE et multis aliis, ob inteſtinorum fabricam ſingularem, neruorum copiam, motumque continuum cet. letalia iudicata ſunt; fuere tamen, qui ea curationem admittere aſſererent, quibus Cl. Auctor aſſentitur ſub his conditionibus, vt corpus ſit robuſtum et bene formatum, vt cauſſa ſit externa, vt denique chirurgus vulnus manu poſſit tractare. His abſentibus, curationem nullam fuiſſe ſequenti exemplo probat. Infans quadriennis iam inde a partu p. 368.
valde debilis, non, ob acrimoniam abundantem, iuſtum incrementum capiens, magnam ciborum copiam, cum aliquo dolore in genis rubris, auide ingerens, quem dolorem etiam in ſpina, manu tacta, ſentiebat, menſe ian. morbillos feliciter ſuperauit. Paullo vero poſt, d. 7 febr. Noſter iterum accerſitus, eum, ſanum praeterea, ſed cum abdomine indurato, vbi aeger tactum circa vmbilici partem ſiniſtram ferre non poterat, inuenit. Signis herniae p. 370.
nullis, pulſu paullo celeriore, reſpiratione et ſomno non praeternaturalibus, emplaſtro ex mucilaginibus totum abdomen obtexit, antiphlogiſticis ſimul, et lenibus purgantibus ſine effectu adhibitis. Poſt aliquot dies humor flauo virideſcens ex cute ad vmbilicum exſtillare coepit, quem bilem puram Cl. Auctor

ctor agnouit. Hac via incognita, rhabarbarum in infuſo dedit, effectu bono quidem, ſed hac praeternaturali excretione craſſiore nunc facta et, cibo conſueto ex ſolanis reſpondente, non impedita. Durities non ceſſante emollientia adhibuit, vt, ea emollita, bonam criſin, ex ſuſpicione exulcerationis internae, ſperare poſſet. Noſtro abſente, chirurgus adveniens, iniectionem in vmbilicum cum ſumma fiducia boni euentus commendauit. Hinc Cel. ALBINO cum alio chirurgo in conſilium vocatis, iniectio ex decocto hordei cum melle roſarum, cum ſpleniis hoc decocto imbutis et emplaſtro defenſiuo ſuperimponendis, probata eſt. Balſamo ARCAEI cum paululo mercurii praecipitati rubri, item extracto cicutae fruſtra adhibitis, ſplenia madida aqua vulneraria, vino diluta, ex auctoritate Cel. ALBINI, applicata ſunt vmbilico, ad aprilem vſque et maium, vbi aeger in dies marceſcebat, ſymptomata vero continuabant, excepto abdomine, quod mollius factum ſubſidebat. Inflammatio circa vmbilicum viſa, emplaſtro conueniente euanuit. Symptomatibus fine maii prioribus factis, vomituque vehementi accedente d. 18.
p. 397. ian. macie periit. Abdomine diſſecto, omentum nullum prodiit, partibus circa vmbilicum firmiſſime nexis. Inteſtina tenuia ſana videbantur; ſed in ieiuno dilatatio, ſacci ad inſtar, cum orificio admodum paruo, circa circum calloſo, cumque vmbilico communicante, deprehenſa eſt. Infra hanc dilatationem inteſtina tenuia paullo ampliora, craſſa vero collapſa erant. Cum ex his cauſſa morbi, eius ſymptomata, et mors poſſent declarari, reliqua non tetigere.

p. 380. 16.) *Obſeruationes de tranſitu veneris per diſcum ſolis*, in eius initio, medio et fine inſtitutae Batauiae d. 6. iun. 1761. a IO. MAUR. MOHR.

In

In altera parte huius voluminis continentur:

1.) Cl. DAVID diſſertatio *de imminuendo aut ſupprimendo feminarum lacte*, quae praemium a ſocietate ad annum 1760 et 1761 propoſitum reportavit. Cum haec diſſertatio lingua Gallica ſcripta ſit, verſio Belgica hic adiecta eſt. De ipſo hoc opuſculo iam alio loco ad Lectores retulimus*). P. II. p. 1.

2.) Cl. BALLEXSERD diſſertatio *de educatione phyſica infantum*, qua Cl. Auctor praemium, a ſocietate ad annum 1762 propoſitum, adſecutus eſt. Cum illam etiam alio loco indicauerimus, notamus tantum et huic diſſertationi verſionem Belgicam additam eſſe **). p. 77.

3.) Cl. CAMPER diſſertatio *de regimine infantum* Latina lingua conſcripta, cum verſione Belgica ***). De puerorum educatione ad ſeptimum vſque aetatis annum Cl. Auctor diſſerit. Primo capite, quod *de liberis procreandis* agit, oſtendit: ad ſanam robuſtamque prolem gignendam multum facere patris vitam moderatam et matris conſtitutionem ac victus rationem: vinum grauidis noxium eſſe, quia peſſimum generet acidum: ventriculi debilitatem fetus puſillos reddere: theam propter aquae calidae abundantiam nocere, praeſertim ſi pinguedinoſa ſimul magna copia ingerantur: lac vberius p. 356.

ad

*) *Diſſertation ſur ce qu'il convient faire pour diminuer ou ſupprimer le lait des femmes*, à Paris. 1763. vid. Comment. Vol. XII. p. 343. ſequ.

**) *Diſſertation ſur l'education phyſique des enfans*, à Paris. 1762. vid. Comment. Vol. XI. p. 626. ſequ.

***) Quamquam Cel. Auctor vtpote ſocietati adſcriptus praemium propoſitum reportare non potuit, tamen haec diſſertatio ob praeſtantiam ſuam digna ſocietati viſa eſt, quae hic imprimeretur.

ad mammas affluere, quando vegetabilibus et lacte matres veſcantur, quam dum laute viuunt.

p. 363. Ex capite ſecundo, quod *de recenter natorum cura* inſcribitur, ſequentia notamus. Cum varii itineratores aſſerant, barbararum gentium pueros, ex neglecta funiculi vmbilicalis deligatione et cura, frequentius noſtris pueris herniis vmbilicalibus laborare, Cl. Auctor non ſolum rationibus docet, ligaturam funiculi nihil ad cicatricis firmitatem efficere, ſed et hoc probat exemplis multorum puerorum Aethiopum, in quibus vmbilicum optime formatum vidit. Hinc vmbilici vitia, in his pueris frequentia, potiſſimum durioribus adſcribit laboribus, quibus illi adſtricti ſunt. Balneum frigidum ſi immerſio fiat in cubiculo pro anni tempore calido, infantibus vtile iudicat. Inter vitia, quae in recens natorum corporibus obſeruantur, primum eſt hernia cerebri, quae ex defectu oſſificationis in quodam cranii loco oritur. Eiusmodi itaque loca debilia ſpleniis firmari debent, ne cerebrum cartilaginem, defectum oſſis replentem, propellat. Diſſerit deinde de labiorum palati, genitalium et pedum vitiis. Quando palatum ſuperius deficit, quale caput Cl. Auctor conſeruat, infans protinus moritur. Loco vuulae aliquando rima in iſthmo faucium adeſt, quae tamen nec loquelam, nec deglutitionem impedit. Eos, quibus vrethra ab inferiore parte penis aperta eſt, proli gignendae aptos eſſe Cl. Auctor iudicat. Cranium poſſidet 5 pollices latum, 6 altum, 8 longum, cuius ſumma pars carinam refert. Naſus Aethiopum in vtero iam compreſſus eſt. Paruus vero in iis et depreſſus apparet, quoniam maxillae longiores ſunt, quam in reliquis hominibus. In infantum veſtitu inprimis attendendum eſt, vt abdomen obtegatur, et modice conſtringatur, cum inteſtina mollibus partibus condantur. Aegide etiam latera fulcienda

ſunt,

ſunt, ne coſtae teneriores nutricum manibus laedantur. Aegides ex pannis iis, qui ex balaenarum cirrhis fabrefactae ſunt, Cl. Auctor praefert. Cunarum mobilium vſum non reiicit, quoniam et corpori modicam agitationem et animo quietem conciliant. Omiſſis, quae de habenis ductoriis, de ceſticellis (*fallhüte*) cet. habet, ad thoraces tranſimus, quos CAMPERUS damnat, ac, ſi ſpina inclinare incipit, plane abiicit, et naturae libertatem concedit, vt infans reſtituatur. Omnia enim, quae remediorum titulo veniant, vitium peius reddere autumat. Kyphoſis vero externa remedia requirit. Machinas etiam, ab ANDRY aliisque eum in finem excogitatas, vt infantes venuſte ſedeant, incedant cet. inutiles eſſe oſtendit.

Tertio capite, *de victu infantum* Cl. Auctor diſ- P. 395.
ſerit. Pulmentum, quo in ſuis infantibus vſus eſt, commendat ex pane biſcocto triticeo, in aqua in pultem ſpiſſam cocto. Huius ſufficiens quantitas igni imponatur, et calefactae ſaponis Veneti paullulum addatur, cuius amarities ſaccharo temperetur. Deinde affundatur lactis bubuli, frigidi, puri q. ſ. vt ſorberi poſſit. Puls vero, ſemel calefacta, ſi non aſſumitur, abiicienda eſt, cum recocta citius in acorem tranſeat. Si acidi, in primis viis praeſentis, ſigna adſint, ſaponis et ſacchari quoque copia augeatur. Infantibus ablactatis, lactis in coena potiſſimum vſus conuenit, cum farinaceis et ſimilibus cibis parati. Ad prandium farinacea et carnis aſſatae parvam quantitatem commendat. Plures deinde regu-
las diaeteticas exhibet. Circa ſcorbutum monet, P. 417.
eos, quorum dentes ab infantia carioſi ſunt, raro, ſi vnquam, in phthiſin pulmonalem incidere, et contra phthiſicos integris et albiſſimis gaudere dentibus. Pueris vinum, ſed parca doſi, vt antiſepticum, ſtimulans et roborans remedium concedit, et acetum

quoque, inprimis ex vino paratum, cibis immiſcere iubet. Potus aquoſus diſpoſitionem ad calculum imminuit; poſt theae enim vſum longe pauciores calculoſi vbique inueniuntur. Caffeae infuſi vſus rhachitidem non magis, quam reliqui calidi potus, qui corpus relaxant, producit.

p. 424. Quarto capite *de infantum diſciplina* Cl. Auctor exponit. Saltatio non ante ſeptimum annum diſcenda eſt: ceterum Cl. Auctori nulla aptior videtur eſſe exercitatio. Equitationem vero et artem gladiatoriam non ante pubertatis annos permittit.

p. 435. Quinto capite *de vitiis infantibus propriis* diſputat. Exponit primum de ſtrabiſmo, qui vel propter parentum vitium, vel conuulſiones, vel infortunium, ſed frequentiſſime propter malam conſuetudinem accidit. Infantum oculi dum in lucem eduntur, non omnibus numeris abſoluti ſunt, cum in multis pupilla clauſa ſit membrana ſic dicta pupillari. Reperit tamen Cl. CAMPERUS in multis, in ipſo partu mortuis, pupillam ſatis amplam, in nonnullis vero vueam integram. Veroſimile itaque ei eſſe videtur, infantes ſimulac nati ſint, non diſtincte videre poſſe, ſed lumen tantum a tenebris diſcernere, artemque videndi vſu tantum, eodemque modo diſcere, quo a natiuitate coeci poſt cataractae curationem. Eo vero tempore potiſſimum infantes ſtrabones fiunt, quo ambobus oculis obiecta examinare incipiunt. Si hoc vitium haereditarium eſt, vel ex conuulſionibus ortum, nullam curationem admittit; ſi ex malo habitu, difficulter corrigitur. Nonnulli bono cum effectu obiectum, quod a latere oculos attrahit, tollunt, atque aliud ſubſtituunt coloribus variegatum, quod e directo inſpicere cogantur. Nucum nutamina perforata alii oculis praefigunt. Vidit tamen Cl. Auctor ex eiusmodi machinae vſu, infantes viſum ita torquere, vt vnico tantum

tum vtantur oculo. Naturae itaque ſtrabiſmus committendus eſt, donec adoleuerint. Idem fere de balbutie ſentit, quae raro vel nunquam ex linguae vitio oritur, cum nec nimia linguae longitudo, nec eius defectus loquelae integritatem tollant. p. 445. Iam ad ſpinae inclinationem ſiue ſcolioſin tranſit. Oritur ex Cel. Auctoris mente hoc vitium, ſi, vel ex malo habitu, vel propter aegidum nimiam conſtrictionem, ſpina in eandem partem diutius inclinatur, quam par eſt. Contunduntur enim cartilagines elaſticae inter vertebras ſitae, vertebrae ſuperioris corpus adhuc cartilagineum comprimitur, et deſtructa lamella intermedia, inferiori innititur; ex qua re nutritio impeditur, et vertebra triangularem formam acquirit, totaque ſpina incuruatur, vt ex hac incuruatione gibber in oppoſito latere naſcatur. Errant itaque ii, qui gibberoſam partem comprimunt, cum ala depreſſa magis attolli debeat, quo cartilagines ſenſim elaſticam naturam recuperent, aut ſcolioſis augmentum impediatur. Idem de collariorum, aliarumque machinarum vſu valet, quae remedia omnia vitium peius reddunt; qua propter Cl. Auctor potius ſuadet, vt naturae vitium hoc committatur, et tantum caueatur, ne infantes corpus diutius in eamdem partem inclinent, vel pondus magnum vno brachio eleuent atque circumferant. Claudicatio- p. 451. nis vitium in Belgia frequentiſſimum eſſe, ex Cel. CAMPERI obſeruationibus Franequerae inſtitutis, patet, vbi inter 2671 incolas 96 claudi reperiuntur. Cauſſa huius vitii praecipua modus eſt, quo infantes brachiis geſtantur. In eo enim ſitu pedibus tantum a nutrice retineri poſſunt, dum ſe mouent, ex qua re facile vnus vel ambo articuli coxarum laeduntur. Hinc, feroſa affluente colluuie, in caueam articuli caput femoris prorſus expellitur, vitio, dum infans incedere incipit, in dies increſcente. Hoc

vitium nulla ratione vnquam ſanatur, ſed tantum omnis cura eo directa eſſe debet, vt corpus ſubleuetur, ne ſpina quoque diſtorqueatur et nutritio luxati pedis plane impediatur. Hoc vitium nunquam partum impedit, qui contra facilior inde reddi videtur, cum peluis in eiusmodi feminis maiorem amplitudinem habeat.

p. 460. Sexto tandem capite Cl. Auctor diſquirit, *vtrum variolarum inſitio infantibus adminiſtranda ſit*, et concludit, variolarum inſitionem ſummopere commendandam eſſe, ſi, conueniente aetate, fit.

Obſeruationes meteorologicae Schwanenburgenſes ad annum 1761.

II.

Eſſays medical and experimental on the following ſubjects, viz. I. The Empiric. II. The Dogmatic. Or, arguments for and againſt the uſe of theory and reaſoning in phyſick. III. experiments and obſervations on aſtringents and bitters. IIII. On the uſes and operation of bliſters. V. On the reſemblance between chyle and milk. By THOMAS PERCIVAL, M. D. F. R. S. — London, printed for I. Johnſon and B. Davenport. 1767. 8. pll. 16½.

i. e.

Diſſertationes et experimenta ex re medica de obiectis ſequentibus: I. Empiricus. II. Dogmaticus. Seu argumenta pro et contra vſum theoriae et ratiocinii in medicina. III. Tentamina et obſeruationes de adſtringentibus et amaris. IIII. Super vſu et operandi modo

modo veſicatoriorum. V. De ſimilitudine inter chylum et lac. Auctore THOMA PERCIVAL.

Duae priores diſſertationes dilucide admodum et copioſe docent, quantum detrimenti redundaverit atque hodienum redundet in ſcientiam medicam, cum vel exercitium artis ſyſtematibus arbitrariis aut hypotheſibus ſuperſtruitur, vel theoria in eadem plane contemnitur et negligitur: ex quibus omnibus demum colligitur, eam eſſe ſectandam normam, vt ſobria nec vllis ſyſtematum hypotheſibus, ſed naturae tantum phaenomenis innixa meditatio, adiuta ab experientia, cum propria, tum lectione Auctorum et cauta eorum diiudicatione acquiſita, medicum artem facientem ducat, atque in dubia etiam et incognita via lucem eidem ac filum ariadneum praebeat.

Sequens tractatio, quae fere dimidiam totius libri efficit partem, narrationem exhibet et experimentorum, quae cum ſingula repetere nequeamus, potiora ſaltem in iis obſeruata et concluſiones, inde a Cl. Auctore deductas, addituri ſumus. Inter varias corti- p. 71.
cem Peruuianum praeparandi methodos decoctum prorſus reiicit, quod in eo ſubſtantia quaedam aromatica perit, et decompoſitio fit partium gummoſarum ac reſinoſarum. Infuſum, cum frigida aqua paratum, aeque efficax eſſe, ac id, quod ope calidae paratur, experimenta vberrime demonſtrant. Infuſum ſpirituoſum efficax quidem cenſendum eſt, at propter calidam indolem ſatis conuenienti doſi exhiberi nequit: in quibusdam tamen morbis neruoſis idem cum vino rubro leuiori, quale Anglis commune Luſitanicum (*red port-wine*) eſt, paratum, p. 74.
omnino conducit. Commode etiam infuſis corticis

huius aromatica ad augendam eiuſdem efficaciam adduntur, inter quae cortices aurantiorum primum locum obtinent. Magis autem ſoluit aqua frigida corticem chinae, ſi infuſum ope triturationis paratur, ad quam praeſtandam machina Comitis DE LA
p. 75. GARAYE vtiliſſima cenſetur. Extractum corticis iisdem, quibus decoctum, vitiis laborat, quibus accedit, quod raro ab empyreumatis ſuſpicione liberum ſit. Calx viua, cum cortice Peruuiano in infuſo coniuncta, plane diuerſa phaenomena Cl. Auctori exhibuit ab iis, quae Cl. MACBRIDE *) tradidit. Saepius repetita decoctio et infuſio corticis vires pe-
p. 87. nitus exhaurire non potuit, quod iam Cl. FULLER miratus eſt, quamquam multum abfuit, vt idem experimenta tam diu continuarit, quam Noſter fecit. Ad determinandam diuerſitatem, quae eſſet in variis menſtruis, corticis viribus extrahendis idoneis, experimenta capta ſunt, et patuit, vinum Rhenanum in digeſtione extraxiſſe plurimum, paullo minus ſpiritum vini gallici, minus adhuc aquam, cum puram, tum aceto vini remiſtam, minimum ſpiritum vini rectificatum.

p. 90. Alia experimenta euicerunt, amara plura plus communicare aquae frigidae infuſae, quam calidae,
p. 91. et infuſa eorum frigida magis eſſe amica ſtomacho; quid quod in praeparandis coriis cortex quercus frigido infuſo ſatis efficax reddatur. Sequentia experimenta demonſtrant, acida et adſtringentia ſeu amara, ſibi inuicem iuncta, mutuo alterutrius vim deſtruere et indolem nouam acquirere, vti fit in ſalibus alkalinis et acidis inter ſe coniunctis. Inde diuerſa ratio antiſepticorum pateſcit. Cl. PRIN-
p. 107. GLE **) aſſeruit, corticis in puluere vſum in imbecillis ideo ſuſpectum eſſe, quod in ventriculo fermen-

*) V. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 340.
**) V. Comment. noſtr. Vol. II. p. 405.

mentationem ſubeat: eius autem incommoda magis ponderi et moli ipſius adſcribenda eſſe Noſter docet, cum ex allatis experimentis perſpicuum ſit, corticem non adeo facile fermentationi obnoxium eſſe. Ex obſeruationibus tamen amici cuiuſdam ſuadet, melius exhiberi puluerem eiuſdem in potionibus, p. 109. quam in bolo aut electuario, quia in priori caſu adiuncta aqua aromatica magis diluitur et facilius digeritur, quod in altera exhibendi ratione non aeque poterit exſpectari.

Cum acida vim amarorum et adſtringentium, et haec rurſus vim acidorum infringant, facile patet, horum vſum magnum eſſe in morbis primarum viarum, et ideo Cl. PRINGLE erraſſe, cum iiſdem minimum vel nihil vtilitatis in ictero adſcripſerit. Ep. 112. contrario acida praeſentiſſima antidota cenſenda ſunt aduerſus effectus nociuos ſcammonii, colocynthidis et tithymali, quae aceto vini corriguntur: p. 113. quorſum et alia venenatae acrimoniae vegetabilia ab Auctore noſtro referuntur, et experimenta Cl. DOBSON memorantur in cane facta, cui opium correctum eſt, cuius effectus elixirium acidum vitrioli ſuſtulit. Vbi bilis corrupta morbos acutos concitat, corticis vſus ex narratione Cl. HILLARY ideo locum non habet, quia ille, ſub quacumque forma exhibitus, ab aegrotis retineri non poteſt: ad quod incommodum p. 117. leuandum ſuadet Noſter, vt cum acidis vegetabilibus combinetur, quae ſimul putridam indolem bilis corrigant et vim antiſepticam corticis intendant.

Cum perſpexerit Cl. Auctor, indolem adſtringentem et amaritiem in vegetabilibus diſtinctas eſſe proprietates, ad eas magis determinandas varia in- p. 118. ſtituit tentamina, quae tamen non adeo ſucceſſerunt, vt res omnis iisdem confecta ſit. Patet tamen ex iiſdem, quod ante iam dixerat Cl. Auctor, p. 106 neque guſtum, neque nigredinem ab adiunctis mar-

tialibus contractam, neque virtutem indurandi partes animales, siue ea coniunctim, siue seperatim sumantur, praebere indicium certum virtutis adstringentis in corpore viuo; id quod potissimum theae exemplo probatur, qua occasione longius a scopo digreditur Cl. Auctor, et multa lectu digna de commodis ac noxis, theae vsui tribuendis disputat. Adscribit istius vsui differentem hodie et mitiorem, quam olim, inflammationum intermittentiumque febrium rationem; at nec debilitatem, neruosam potissimum, ab eadem inductam, reticet. Theam viridem magis noxiam putat neruoso systemati, quam boheam, quod partes subtiliores narcoticae ipsa praeparatione herbae in hac magis dissipantur, quam in illa. Commendat autem vsum eiusdem ob ipsam vim sedatiuam in morbis acutis et inflammatoriis, aliisque casibus conuenientibus. Hanc digressionem sequitur alia de vi adstringente corticis Peruviani, quam neque adeo magnam, neque adeo timendam putat, ac ipsa multis videtur. Experimentis cum felle taurino putrescente institutis, cognouit Noster, vere ipsum efferuescere cum acidis et mutare colorem syrupi violarum in viridem, quod vtrumque Cl. MACBRIDE *) negauerat: hic vero deceptus fuit, aut quod non diluit fel taurinum, aut quod experimenta cepit, antequam sal alkalinus euolutus fuerit, aut postquam idem iam euaporauerit. Ex ipsis autem experimentis istis iterum apparet, acida praestantissimum esse remedium ad corrigendam bilis putredinem: maiorem tamen laudem deberi vegetabilibus, quam mineralibus, quoniam illis simul inest vis demulcendi et blande aperiendi euacuandique, qua acida mineralia carent. Patet autem etiam, qualia nimius abusus acidorum damna in destruenda bilis efficacia indeque inducenda cachy-

p. 124.

p. 129.

p. 146.

p. 148.

*) V. Comment. nostr. l. c.

cochymia et cachexia producat, et ratio morborum infantilis aetatis, ab inertia bilis atque acore in primis viis oriundorum. Tandem experimenta quaedam cepit Cl. Auctor ſuper natura et indole atramenti, quod Cl. LEWIS dixerat eſſe ferrum extricatum ab acido ſuo in ſtatu maxime attenuato ac diviſo, et coniunctum cum peculiari ſpecie materiae contentae in vegetabilibus adſtringentibus. Noſtri vero tentamina euincunt, ferrum non extricatum, ſed coniunctum cum acido et certa proportione materiae adſtringentis ex vegetabili regno, atramentum conſtituere. Curioſum prae reliquis nobis viſum eſt experimentum 36, vbi infuſum corticis Peruuiani cum aqua deſtillata frigida paratum, cum immerſum eſſet in illud ferrum politum, poſt tres horas parum nigri coloris contraxerat: cum vero idem ferrum in aliud infuſum corticis, ſeruata eadem proportione cum aqua communi fontana frigida factum, immitteretur, minus quam duorum horarum ſpatio multo intenſior color obſeruatus eſt, quod ſali ſelenitico, quo ſcatebat aqua iſta non deſtillata, adſcribendum eſt. p. 150. p. 152.

Progredimur ad tractationem quartam de vſu veſicatoriorum eorumque operandi modo. Ad vtramque claſſem medicamentorum, quae tam in ſolidas, quam in fluidas partes agunt, pertinere videtur hoc remediorum genus. Sed quaeritur, vtrum exſerant effectum irritando tantum ſuperficiem corporis, an facta reſorptione particularum, ortoque inde ſtimulo? Experimenta BAGLIVII, quae in animalibus cepit, quorum venis iugularibus immiſit tincturam cantharidum, nihil probant, cum mitiſſima fluida, vt lac, per eiuſmodi viam in ſanguinem inducta, pernicioſos monſtrent effectus. Triſtiſſima ſymptomata vſum imprudentem internum p. 170. p. 171.

cantharidum ſequuntur: hinc plurimis vere ſimile viſum eſt, pares, at mitiores, effectus ab eorum vſu externo per reſorptionem proficiſci, hisque virtutes earum ſalutares deberi: et quum, BAGLIVIO Auctore, ſanguinem colliquent, ſi eidem admiſceantur, inde virtutem reſoluendi atque attenuandi pendere. Obſtant autem huic theoriae varia non exi-
p. 173. gui ponderis. Non enim in omnibus caſibus ab iisdem motus humorum intenditur, quin inflammatio ſaepe leuatur pulſusque tranquillior redditur. Exi-
p. 174. gua praeterea cantharidum pars impar eſt tantis effectibus producendis, cum partim nimis diluatur a fluidis corporis, partim impediatur a muco parietes vaſculorum obliniente, quo minus perfecte vim ſuam exſerat. Repugnare quidem videtur actio earum in vias vrinarias: ſed ad hanc obiectionem reſpondet Cl. Auctor, peregrina quaecumque, in ſanguinem inducta, cum aſſimilari nequeant, exire per colatoria et excretoria organa; volatilia quidem per ſuperficiem pulmonum et cutis, fixiora autem, quor-
p. 176. ſum et cantharides pertineant, per vrinae vias. Eadem valent de vi reſoluente cantharidum: neque enim mercurius, exigua doſi ſaliuae profluuium excitans, reſoluendo agit, ſed, partiali ſtimulo glandulis ſaliualibus applicato, quod ſanguis, ipſo ſaliuationis tempore miſſus, teſtatur, non reſolutus, ſed denſus deprehenſus. Neque vero cantharides vllam chemicam ad fluida animalia relationem habent, quod experimenta, cum ſanguine eiuſque ſero inſli-
p. 179. tuta, Cl. Auctorem docuerunt. Symptomata graviora, applicationem veſicatoriorum ſequuta, magis iniuſto morbi ſtatui falſaeque indicationi adſcribenda ſunt, quam illis ipſis ex ſua indole tribuenda: eadem enim incommoda ab aliis epiſpaſticis aut cauteriis, minus opportune in vſum vocatis, eueniunt. Stranguria a nonnullis non reſorptioni, ſed conſenſui

ſui inter cutim viasque vrinarias adſcripta eſt: at prior ſententia ideo probatur, quod nulla alia exci- p. 182.
tantia externa eumdem effectum produnt; porro quod frequentior potus hoc incommodum praecavet, et tandem, quod effectus hic fere ſemper conſpicitur, ſi vertici, recenter raſo, applicatur veſicatorium, non aeque, ſi hoc, elapſis viginti quatuor horis, factum fuerit: in priori enim caſu, ablata cuticula, facilior redditur reſorptio.

Indicantur veſicatoria cum in morbis ſolidarum, p. 184.
tum fluidarum partium. Priores ad tres claſſes referri poſſunt: cum actio fibrarum motricium vel generatim vel partialiter nimis debilis, aut irregularis, aut partialiter nimis intenſa eſt. In priori caſu agunt vt ſtimulantia languidorum ſolidorum, vt nervina, quae vires vitae ſuſtinent, et vt ea remedia, quae ſalubres excretiones promouent. Spectant huc febres lentae neruoſae, in quibus vero tunc de- p. 187.
mum locum habent, cum corpus ſtimulis iam aſſuefactum eſt, aut nerui non praeter modum ſenſiles ſunt: alioquin augent ſpaſmos, neruoſumque ſyſtema turbant. Porro in augmento febrium inflammatoriarum, cum languor et affectus ſoporoſi accedunt, vt et in petechiis malignis, et variolis malignae indolis: item in apoplexia et paralyſi; potiſſimum particulari, vbi maiorem vſum praeſtant, ſi in eo loco, in quo ſiti ſunt nerui, ad partem affectam p. 192.
tendentes, applicantur, quam ſi ipſi parti affectae applicata fuerint. Vero ſimile inde eſt, in gutta ſerena opem ab iis exſpectari poſſe, ſi prope foramen ſupra orbitale applicentur, per quod tranſeunt nerui, ad retinam pertinentes. In tympanite MEADIUS eadem commendat: abſit tamen neceſſe eſt laeſio inteſtinorum. In rhachitide a BOERHAAVIO ma- p. 193.
gni habentur. Sic etiam in humoribus ſcirrhoſis glandularum reſolutionem multum iuuant. Quod

ſecun-

ſecundam claſſem morborum ſpectat, in motibus conuulſiuis vt ſtimulantia et antiſpaſmodica agunt. In conſideranda tertia claſſe diſſenſus Auctorum occurrit, cum HOFMANNUS, BAGLIVIUS, PRINGLE, HUXHAM et WHYTT eorum vſum in febribus inflammatoriis reprobent, SYDENHAMIUS autem, GLASS et LIND eadem commendent.

p. 202. Vtraque ſententia ita comparari poteſt, vt abſtinendum ſit ab iiſdem, cum inflammatoria diatheſis totum corpus tenet, nec vnam prae reliquis partem infeſtat: at cum inflammatio caput, pulmones cet. petit, tum eorundem ope vaſa liberare oportet, febrem infringere et celeritatem pulſus minuere.

p. 204. Conducit ergo remedium hoc in phrenitide ſymptomatica ſeu delirio febribus bilioſis, malignis, aut inflammatoriis ſuperueniente, in quo ex mente Cl. WHYTT tum demum opem fert, cum membranae tantum cerebri, non autem ipſa eius ſubſtantia, affi-

p. 212. ciuntur, cuius tamen ſententiae contrarium ipſe Cl. Auctor vidit; in ophthalmiis, in quibus tamen hirudinibus actionem ipſius iuuandam eſſe monet; in haemorrhagia narium, hinc forte etiam in haemoptoe; in angina inflammatoria: in peripneumonia vera; in variolis, cum membrana pituitaria affecta eſt, ex mente HUXHAMI; in tuſſi humida, Auctore Cl. WHYTT; in inflammatione hepatis, ventriculi et inteſtinorum, in ileo et dyſenteria, ſuadente Cl. PRINGLE; in morbis rheumaticis et arthriticis, Auctoribus HOFMANNO, PRINGLE, CULLEN et HUXHAM. Quod vero virtutem veſica-

p. 218. toriorum in fluida attinet, ea ab effectu in ſolida pendet: accelerando enim contractionem vaſorum praecauent ſtagnationem humorum, et, excitata inflammatione in ſuperficie cutis, humorum euacuationem praeſtant. Vt euacuantia ergo agunt in febribus neruoſis; in variolis aquoſis, in iiſdem malignis,

lignis, cum materia nimis craſſa et ad ſuppurationem, et ad reſorptionem euacuationemque per vrinam inepta eſt; in conuulſionibus infantum, in quibus quippe natura, ſaepius medelam per vlcera efficiendo, humores ſuperabundantes expellit.

Accedimus ad tractationem vltimam de ſimilitudine inter chylum et lac. Cum res ſit difficillima, comparare ſibi eam copiam chyli, quae ſufficiat experimentis in eodem capiendis, ſubſiſtendum eſt in indole ac proprietatibus eius a priori, quod dicunt, determinandis. Atqui res eo redit. Chylus, variis digeſtionibus in ore, ventriculo et inteſtinis peractis, mutatur in fluidum reſorptioni per vaſa lactea p. 229. idoneum, quod procul dubio conſiſtit ex oleo, mucilagine, aqua, parte coagulabili et aere fixo. Olei et mucilaginis praeſentiam color albus demonſtrat. Coagulabilem partem adeſſe ex eo colligit Cl. Auctor, quod inſignis copia lymphae, quae ipſa eius indolis eſt, alimentis noſtris admiſcetur, ipſaque mucilago in alimentis latens eiusmodi proprietatem plus vel minus exhibet. Extricatur autem pars iſta p. 230. ope fermentationis, quae fit in primis viis, quod quidem varia proportione ſit pro varietate alimentorum aſſumtorum, vti vacca pabulo tenuiore nutrita lac exhibet, ex quo caſeus praeparari nequit. Aeris fixi praeſentiam Cl. MACBRIDE *) euicit. Comparemus nunc has partes conſtituentes cum illis, quas lac nobis praebet. Sunt eae oleum, muci- p. 231. lago, ſaccharum, aqua et aer. Mucilago partem coagulabilem ſiſtit, quae caſeum praebet, et ſaepe cum ſero ſanguinis comparatur, a quo tamen eo differt, quod non coagulatur calore. Saccharum, in parte aquoſa latens, euaporatione et cryſtalliſatione detegitur. Aerem ineſſe experimenta ſub antlia pneu-

*) V. Comment. noſtr. Vol. XIV. p. 349.

p. 232. pneumatica docent. Ex his liquet, vnius eiuſdemque indolis eſſe partes, vtrumque fluidum conſtituentes: neque tamen ipſa ideo exactiſſime conuenire liquet, quod neſcimus proportionem ſingularum inter ſe. Ad phaenomena igitur confugiendum eſt. Videmus, lac ſeruare indolem alimentorum, adeoque proprietates aduentitias chyli: ergo etiam nativam huius indolem remanere debere in chylo patet. Lactis etiam copia proportionata eſt copiae chyli. Subſtantia ſaccharina ex lacte obtinenda, et ſpiritus inflammabilis fermentatione et deſtillatione ex eo parandus, et aceſcens eius qualitas demonſtrant, vegetabilem naturam chyli in mammis non mutari. Chylum vero non mutatum circulationem in corpore abſoluere, ipſe per venam ſectam emiſſus et in variis morbis per colatoria corporis egrediens teſtatur. Videtur etiam aliquid tribui oportere laxitati vaſorum mammalium et ſuctioni, quae reſiſtentiam tollendo impetum fluidi ad haec loca faciliorem reddit. Omnium vero maxime ſimilitudinem hanc probat obſeruatio in puella, octo annorum facta, quae aſcite et anaſarca vniuerſali affecta, bis paracentheſin ſuſtinuit, vbi quaque vice inſignis copia humoris, lacti cum aqua remiſto ſimilis, educta eſt, qui igne coagulari non patiebatur, ſed repoſitus tenuem cremorem, et paucis diebus poſt acorem guſtu et olfactu percipiendum exhibuit. Puella haec cum ante morbum iuſto voracior fuerit et appetitui nimis indulſerit, probabile videtur, poſt plenum paſtum ſub exercitio violentiori corporis vas quoddam lacteum ruptum fuiſſe. Ipſa tamen rite poſtmodum conualuit.

III.

III.

Recherches ſur le tiſſu muqueux, ou l'organe cellulaire, et ſur quelques maladies de la poitrine. Par Mr. THEOPHILE DE BORDEU, Docteur en Médecine des Facultés de Paris et de Montpellier. On y a joint une diſſertation du même Auteur, ſur l'uſage des eaux de Baréges, dans les ecrouelles. A Paris, chez Pierre Franç. Didot le jeune. 1767. 12. Singula diſſertatio absque praefatione plagg. 9½ continet.

i. e.

Meditationes ſuper contextu mucoſo ſiue organo cellulari et quibusdam pectoris morbis, Auctore THEOPHILO DE BORDEU. Accedit diſſertatio Auctoris eiuſdem de vſu aquarum Baredginenſium in ſcrophulis.

Ampliorem in priori opere Cl. Auctor explicationem ſententiae ſuae de contextu celluloſo exhibet, quam olim in diſſertationibus duabus, quibus titulus: *an omnes corporis partes digeſtioni opitulentur* *)? et: *vtrum Aquitaniae minerales aquae morbis chronicis* **)? breuius propoſuerat.

Principium tractationis Cl. Auctor facit demonſtrando texturam fibrillae minimae, quae ſi ab aliis p. 2.
ſui generis ſeparetur, ſpeciem quandam glutinis conſpectui offert, quam ſi oculo armato intuearis, inuenies ex corpuſculis paruis ſibi ſuperimpoſitis, nullo ſeruato ordine, magis aut minus mollibus et tranſparentibus compoſitam; quae cum parum omnino differant a corpore mucoſo plantarum, arriſit

*) Vid. Comment. noſtr. Vol. III. p. 266.
**) V. Vol. IV. p. 289.

p. 3. ſit noſtro nomen *contextus mucoſi.* Contextum hunc prima ſtamina corporis animalis ſuggerere, docent obſeruationes in ouis incubatis inſtitutae,
p. 4. Nomen autem cellularum non inuoluit organicam diſpoſitionem filamentorum mucoſorum, aut diſtributionem eorum in veſiculas inter ſe communican-
p. 6. tes, ſed tantum areolas vacuas ex irregulari concurſu horum filamentorum, dum ipſa partim fibras ambiunt, partim ipſis interiacent, oriundas. In hoc ergo contextu neque vaſa, neque fibroſum quicquam adeſſe poſſe apparet: ſed humoribus transmittendis
p. 9. ceu ſpongia aptus eſt. Commodius ille demonſtratur, ſi muſculum gelare facimus, quam ſi aerem immittimus: tum enim cellulae diſrumpuntur. Nu-
p. 10. tritur contextus iſte, accedente ſucco nutritio, ex vaſis huc delato, adeo vt noua ſubinde eiuſmodi filamentorum ſtrata prioribus ſuperimponantur: ergo non ipſae fibrae, ſed contextus eas iungens nutrimentum ſuſcipit, neque diuerſa pro varia corporis menſura partium magnitudo maiori numero fibrarum adſcribenda eſt, neque diuerſum robur, ſed ſoli maiori minoriue abundantiae, ſitui et conſiſten-
p. 17. tiae contextus celluloſi. Ratio nutritionis lentis cryſtallinae, cuius inuentionem Cl. PETIT medico debemus, egregie hoc aſſertum confirmat. Con-
p. 18. gruere etiam videtur cum eo nutritio oſſium, ex mente Cl. DUHAMEL applicatis laminis peracta, quas perioſtei productiones dicit, quae vero proprie contextus mucoſus ſunt, et ſtructura ſquamoſa epidermidis; vnguium praeterea ortus, quorum laminae exactiſſime referunt lympham concretam et igne coactam, nutritio dentium et ligamentorum cartilaginoſorum, vertebris interiectorum. Omnes ideo partes ope ſubſtantiae celluloſae nutriuntur: vt autem hoc non vno eodemque modo fiat, diverſitas fibrarum, quibus illa applicatur, et diſpoſi-

tio

tio variorum organorum, eas conſtituentium, efficit, quae a varia diſpoſitione fibrarum neruearum proficiſci videtur, quod exempli loco diſtributione neruorum in muſculo illuſtratur. Hanc theoriam cicatricum geneſis optime explicat. Quae ab Auctoribus adducuntur morborum fibrarum ſpecies, rigiditas nempe, laxitas, ſiccitas, debilitas cet. pendent tantum ab imaginatione, aeque vt infinite parvum aut punctum mathematicorum; ſi quis iis locus relinquendus, hi morbi potius contextui cellulari adſcribendi forent, quam fibris ipſis.

His in genere praemiſſis, contextum celluloſum corporis humani per partes conſiderat Cl. Auctor. Sunt quaedam membranae, quas ex illo ſolo conſta- p. 32.
re nemo negat, et quae adiacentes partibus vicinis ab iisdem, praecipue in iis locis, vbi maxima eſt frictio, laeuitatem quandam ſeu polituram acceperunt. Demonſtrat autem Noſter, peritonaeum non fuiſſe ab initio ſaccum communem, in quo reconditae fuerint partes, in abdomine ſitae, ſed contextum mu- coſum, qui interiorem faciem muſculorum abdomi- p. 34.
nalium et viſcera ipſa obduxerit, cuius partes ſucceſſu temporis inter ſe concreuerint. Pleurae eadem ratio eſt. Pia mater cum praecedentibus convenit, ſed in eo differt, quod non, vti peritonaeum v. c. in hepate et pleura in pulmonibus in totam viſceris, quod ambit, ſubſtantiam immergitur et ibi demum euaneſcit, ſed, poſtquam cum vaſis cerebri in illud ingreſſa eſt, ſe reuoluit, neque ad interiora vſque procedit. Dura vero mater tendineo muſcu- p. 41.
loſa membrana eſt, perioſteo ſimilis, neque huc referenda. Quod ad viſcerum in his ſaccis contextus celluloſi contentorum qualitatem ſpectat, ea non p. 42.
adeo regularis ſtructurae ſunt, quam muſculi; contextus quippe celluloſus minus ordine diſpoſitus, minus organiſatus eſt, quod veteres ſub denomina-

tione *parenchymatis* ſignificare voluerunt. Fruſtra etiam recentiores formam determinatam texturae viſcerum adſcribere tentant: vltimo enim ſemper ad pulpoſum quid, nec vaſculoſum, nec veſiculoſum, recurrendum eſt.

p. 43. Alia pars contextus celluloſi, eaque attentione digna, eſt integumentum illud commune corporis, quod cuticula et cute remotis, conſpicitur, et plerumque tunicae adipoſae nomine inſignitur. In tres partes diuidi poteſt, quarum prima caput et collum, altera pectus et abdomen, et tertia extremi-

p. 45. tates amplectitur. Ea pars, quae truncum ambit, affigitur muſculis ſubiacentibus, iisdem vaginas largitur, et vbique per interſtitia ipſorum altius ſe demittit, adeo vt in abdomine cum peritonaeo, in pectore cum pleura communionem ſubeat, quod tamen frequentius per ambages et multiplices flexus, quam recta via fit. Magis autem immediate cum peritonaeo in parte poſteriori abdominis communicat, ſiquidem vagina celluloſa inteſtini recti aeque ab

p. 51. hac tunica, ac a peritonaeo oritur. In pectore celluloſus contextus craſſiſſimus et laxiſſimus eſt in regione mammarum, neque hic adeo coniungitur

p. 52. cum pleura, quam in progreſſu ſuo ſub axillis. Ea pars, quae collum et caput inueſtit, perforato muſculo cutaneo colli, ſuper partes propinquas ad laryngem et pharyngem tranſit, ibique cum productionibus pleurae iungitur. Glandulae lymphaticae colli prope in eodem contextu celluloſo ſuſpenſae haerent. Cranium ſub galea tendinea eodem

p. 54. contextu celluloſo obtegitur, qui per futuras in adultis aliquam, in iunioribus autem et fetibus magis inſignem per oſſa ipſa et perioſteum cum dura matre communicationem habet. Contextus celluloſus faciei rarior eſt, et in omnes eius cauitates, ad oeſophagum, nares, vbi membranam pituitariam

for-

formát, et orbitas extenditur, vbi penitus cum dura matre coniungitur. Ex communicatione hac pleurae cum contextu cellulari colli et faciei patet conſenſus pectoris cum partibus iſtis, quem fere diſpoſitioni vaſorum adſcribere ſolent. Contextus cellularis extremitatum multum differt a praeceden- p. 56.
tibus: formiat enim in iiſdem membranam tendineam, quae tamen in femore craſſior eſt, quia maior ibi vis eſt muſculorum et oſſis ipſius. Eadem his vaginis origo fuiſſe videtur, quam ſupra de membranis, cauitates inueſtientibus, adducta eſt. Com- p. 59.
municat hic contentus cum eo, qui peritonaeum et pleuram conſtituit: vnde etiam commercium patet, quod intercedit extremitates atque truncum.

Hac contextus celluloſi diuiſione generatim ex- p. 63.
poſita, euincitur filamentorum eius ad ſeruandum aequilibrium in motu neceſſitas atque vtilitas, ad quam praeſtandam multum facit neruorum et vaſorum actio. Praeter iſtum vero *tonum* et *cohaeſionem* p. 65.
proprietas ſingularis illius in *penetrabilitate* ponenda eſt, in qua videtur eſſe poſitum magnum momentum tranſpirationis inſenſibilis. Hae ipſae tamen proprietates nonnihil refraenantur reſiſtentiis quibusdam, quae proficiſcuntur a ſtricturis nonnullis ipſius contextus: quae quamuis variis in locis conſpicuae ſint, vt in extremitatum articulis, in digitis manuum et pedum, cet. vna tamen prae reliquis notari meretur, quae per medium corpus ad ipſius longitudinem decurrens ipſum in duas partes diuidit, et a Cl. Auctore nomine *rhaphes* inſignitur. Strictura nempe ſeu plica cutis inter femur vtrum- p. 68.
que, quae proprie hoc nomen gerit, protenditur antrorſum in vtroque ſexu ad os pubis, quod cartilagine diuiditur; ſuper hanc diuiſionem conſpicitur linea alba, et, aperto abdomine eius, cauitatem diuidi videmus meſenterio; diaphragma tum antrorſum

verſus ſternum, tum poſterius ad ſpinam dorſi in duas partes diuiſum eſt. Pectus per mediaſtinum diuiditur. Trachea ſignum diuiſionis aeque ac glandula et cartilago thyreoidea, cartilago cricoidea et epiglottis ſeruant. Oeſophagus et pharynx poſterius decuſſatione fibrarum diuiduntur. Linguae diviſio iam veteribus innotuit. Maxilla inferior ſemper lineam eminentem, diuiſionis veſtigium, ſeruat. Palatum, oſſa maxillaria, naſum, labia, media linea diuidi, notiſſima res eſt. Muſculi ſuperciliorum et frontales diſtinguuntur ſtructura quadam intermedia cutis. Oſſa cranii et totum encephalum in duas partes aequales diuidi quiſque nouit. Spina dorſi diuidit poſteriorem corporis partem, adeo vt ſtructura cutis, eam tegentis, incipiat verſus protuberan-
p. 72. tiam occipitalem et protendatur ad os coccygis. Eadem linea intermedia diuidit inteſtina omnia; pari modo vterus et veſica diuiduntur. Vaſa omnia ita diſponuntur, vt ratione exortus, arterioſa partem ſiniſtram, venoſa dextram corporis partem reſpiciant. Nonnullae partes exemtae videntur ab hac diuiſione: ſed hae forte penitus huic, aliae oppoſitae parti aſſignate ſunt, vt v. c. hepar ad dextram, pancreas ad ſiniſtram partem pertineat. Haec doctrina de partitione corporis inſeruire poteſt variis phaenomenis phyſiologicis et pathologicis explicandis. Praeter motum autem tonicum, quem adiuuare contextum celluloſum ſuperius indicatum eſt, multum ipſe confert ad actionem diaphragmatis explicandam, quoniam in eo concurrunt ſacci duo inſignes ab eodem formati, pleura et peritoneum: quumque duodenum magna eiuſdem copia cingatur, accedentibus ſimul et in eodem ſe diffundentibus neruis gaſtricis, inde patefit, cur diaphragma et viſcera abdominalia adeo magnum conſenſum habeant cum reliquis partibus corporis.

Ex

Ex iis phaenomenis pathologicis, quibus aſſerta haec comprobat Cl. Auctor, annotabimus tantum, p. 81.
mutatum faciei ſtatum in variis morbis ex affecto per conſenſum eiusdem contextu cellulari explicandum eſſe; hunc ipſum ſaepe, v. c. in tumoribus ſub- p. 85.
axillaribus poſt ſuppurationem in digitis, viam et ſedem metaſtaſis praebere, et quae ſunt reliqua.

Sed procedimus ad vberiorem applicationem theoriae huius ad cognitionem curamque morborum illuſtrandam. Poſtquam enim ſatis copioſe de p. 94.
neglecto HIPPOCRATIS apud nos ſtudio conqueſtus eſt Cl. Auctor, commentatur in quaedam eiusdem loca, quae, praeſuppoſita hac theoria, facilem et adaequatam explicationem admittunt. Concernunt ea morbos pectoris et faucium, et nos cum repetere ſingula nequeamus, quae ab Auctore noſtro tradita ſunt, in excerpendis quibusdam ſubſiſtemus.
Sic abhortatur de abuſu purgantium in pleuritide, p. 122.
quibus nimirum ſputa critica, quibus morbus ſoluitur, ſupprimuntur et aeger praecipitatur. In angina inflammatoria reprobat BOERHAAVIUM, p. 147.
quod venae ſectionem largiorem eamque repetitam et purgantia ſuaſit, neque tamen locum venaeſectionis, neque tempus purgationis indicauit; imo vltimum remedii genus in hoc morbo ſuſpectum omnino putat, et miratur, neque hunc, neque commentatorem eius, SWIETENIUM, emeticorum habuiſſe rationem, quae tamen magis adaequata eſſe huic morbo ſtatuit, quam purgantia et miſſionem ſanguinis, idque ſcriptorum nonnullorum teſtimoniis et propria experientia confirmat. Forſan erro- p. 152.
ri huic ortum dedit elaterium, quod veteres in hoc morbo commendant: quod tamen magis ſurſum, quam deorſum purgaſſe ex DIOSCORIDE patet.

Sedem inflammationis ponit in parte mucoſa p. 173.
ſanguinis, producta motu violento, et eiusdem in-

dolis cum eo contextu mucoſo, quem principium nutritionis eſſe in initio huius operis euicerat; hanc ipſam efficere veram plethoram partialem in multis morbis, praecipue in iis contextus celluloſi; in quibus nimirum ſe, in ipſo hoc contextu, irregulariter expandat; huic adſcribendam eſſe materiam coctionis, ſuppurationis, cicatricis, ortumque concretionum polypoſarum; forte huius vſum eſſe poſſe in depurando ſanguine, vti ichthyocolla vinum depuratur, atque ipſam, praeſtito ſuo vſu, ſeparari ab ipſo
p. 180. per ſe et excretiones in corpore conſpicuas. Alia eſt peculiaris ſententia Cl. Auctoris de variis regionibus linguae, variarum partium morbos indicantibus, ita vt planum apici linguae proximum denotet clauiculam aut partem ſuperiorem pulmonum; quod ſequitur, latius, pulmonem medium et latus pectoris mammam verſus; imum denique dolorem verſus diaphragma. In hoc problemate tamen (pro eo enim ipſe Cl. Auctor hanc opinionem venditat) maximam difficultatem parit confuſio ſignorum iſtorum cum ſignis morborum abdominis, ex lingua per-
p. 191. ſpiciendis. Vberrime diiudicat doctrinam BOERHAAVII de peripneumonia, eamque putat effici ab accumulata quadam copia muci in contextu cellulari, quae iam GALENI ſententia fuit; ſtatuitque illam vix non ſemper ſequi decubitus catarrhales ad
p. 194. pectus. Diſtinctio in veram et ſpuriam ipſi inſufficiens videtur; non enim niſi gradu vtramque inter ſe differre perſuaſum ſibi habet. Simili modo de eryſipelacea et phlegmonoſa, pleuritide vera et ſpuria et pleuroperipneumonia iudicat: ſerum nempe abundans in pectoris celluloſo contextu defluxionem ibi excitare poteſt cum vel ſine dolore et febre.
p. 202. Suus etiam in hoc morbo emeticis, iuſto tempore da-
p. 205. tis, locus relinquendus eſt, aeque ac diaphoreticis.
p. 210. Quod topica ſpectat, magis ſuadet Cl. Auctor veſi-

ca-

catoria pone aures, quam in ipſo loco affecto appli- p. 214
canda eſſe. Caute etiam praecipit, ne in morbis catarrhalibus pectoris inconſulto motus febriles ſupprimantur, quibus velut auxilio natura vtitur ad coquendum et ſuperandum morbum. Vti vero in omnibus, ita praecipue in pectoris morbis hoc prae- p. 224.
ceptum maximopere commendat, naturam, quo vergat, ducendam, non autem eidem, quocumque demum modo illud fiat, vim inferendam eſſe.

Paullo diutius forſan iuſto haeſimus in recenſione ſyſtematis Cl. Auctoris, quo pleniorem eiusdem notionem Lectoribus noſtris traderemus. Eo breviores eſſe poterimus in indicando altero tractatu, quippe qui idem eſt, quem olim Academia chirurgica praemio dignum iudicauit, quaeſtione *de charactere, ſpeciebus et curatione tumorum ſcrophuloſorum definiendis* propoſita, cuius ideo recenſionem alio iam tempore *) exhibuimus. Iam vero, cum non omnium ſit, comparare ſibi integram iſtam collectionem ſcriptorum, in quibus de praemio hoc obtinendo certatum eſt, laudabili conſilio ſeparatim hunc tractatum recudendum curauit Cl. Auctor, eumque priori diſſertationi de contextu celluloſo iunxit, ita tamen, vt numerus paginarum ſingularis ad ſingulam tractationem pertineat, adeoque, qui poſteriori indigeant, opus non habeant priorem ſimul coëmendi. Dicata eſt haec diſſertatio parenti ipſius, Cl. ANTONIO DE BORDEU, aquas Baredgienſes amplius quadraginta annos dirigenti, ſimulque noſocomii militaris in eodem oppido conditi praefecto; ipſique praemiſſa praefatio, in qua cura et ſolertia in aquis iſtis commodo publico vtilioribus reddendis enarratur et iuſtis laudibus extollitur.

*) Comm. noſtr. Vol. IX. p. 63. ſeqq.

IV.

OCTAVII NERUCCI Phil. et Med. in Senenſi Lyceo Medic. Theor. Profeſſ. hiſtoria febris epidemicae Senenſis ann. 1766 et 1767. Cui accedit oratio pro ſtudiorum inſtauratione. Senis 1767. apud Aloyſium et Benedictum Bindi. 8. pl. 5.

Aeſtate anni 1766 poſtquam, ſegetibus laete virentibus, repentina rubigo omnes propemodum ſuſtulerat fruges, quarum ſumma inopia homines miſere tenebantur, febris quaedam putrido bilioſa, epidemica, maligna ab initio in noſocomio, paulo poſt per totam vrbem graſſari coepit, cuius natura inſimulque cauſſa proxima penſitatis et aliorum cum obſeruationibus collatis, methodum huic medendi et modum eius praecauendae Cl. Auctor tradit. Huic frugum inopiae accedebat et hoc, quod et vina, diu bene conſeruata, maximam partem hoc anno in doliis corrupta ſunt reperta. Id quod num eidem rubigini ſit tribuendum? aliis diiudicandum Noſter relinquit.

p. 2. Erat haec febris primum leuioribus ſtipata ſymptomatibus ita, vt praeter corporis laſſitudinem et nauſeam, fere omnibus communem, nihil haberent aegri, de quo primis ſeptem diebus conquererentur. Circa ſeptimum diem, petechialibus maculis aut exanthematibus aut miliaribus ſubito erumpentibus, augebatur febris cum ſymptomatibus, hypochondrii dextri grauis et ad tactum moleſta ſenſatio atque tenſio, ſingultus frequens, ſtranguria accedebant, aluus bilioſa et aeruginoſa cum lumbricis teretibus interdum emittebatur, interdum erat obſtructa, nec niſi clyſmatibus, reſpondebat. Sanguis e vena miſſus mollis et rutilans inueniebatur.

Cauſſa

Cauſſa huius morbi proxima eſt colluuies putri- P. 4
do bilioſa, in primis viis collecta et ad ſanguinem delata. Hanc diatheſin putridam Cl. Auctor ab eodem aeris vitio, quo infelix rubigo, deriuat; quod in defectu acidi vitriolici, in aere verſantis, cernitur, et a quo vegetabilium vegetatio et animalium vitae conſeruatio maximam partem ita oriri videtur, vt, aere ob illius acidi inopiam in alcaleſcentem naturam conuerſo, corpora omnia ad putridam hanc fermentationem ſuſcipiendam diſponantur. Quam ſuſpicionem eo magis fouet Noſter, quo coloratiorem et molliorem ſanguinem fere in omnibus inuenit, qui auctam ab alcaleſcente aere chyli ſanguificationem in pulmonibus indubitato prodit. Quomodo autem ab alcaleſcente aere augeri poſſit ſanguificatio, dum diſquirit Noſter, ſanguificationem chyli nec ab attritu, nec ab intima eius mixtione pendere, ſed in particularum ſpectari ſolutione, quae in eiusdem chyli compoſitionem potius, quam in continuitatem eius inducitur, aſſerit, docteque ſanguinem vt fluidum aggregatum et mixtum diſtinguit. Chylus enim, ex animali eductus, aceſcit et difficillime putreſcit, ſanguis e contrario facile in putredinem abit, minime vero aceſcit. Ex hoc phaenomeno colligit, acidum balſamicum, per ſanguificationem e chylo extractum, ſanguinis putredinem arcere et praecauere. Quamobrem converſio chyli in ſanguinem videtur Noſtro cerni in expoſita compoſitionis ſolutione, quatenus ex particulis, chylum conſtituentibus, eius portio acida extrahitur. Quemadmodum aer externus humida exſiccat corpora, ſic inſpiratus aer attrahit chyli, per pulmones transeuntis, acidam partem, qua exhalante, ſanguificationem fieri, indeque ab alcaleſcente aere ipſam ſanguificationem augeri et ita ab aerei acidi defectu contagioſos morbos oriri poſſe, et aliis conſentientibus, probat.

p. 13. Praecipua ſeu proxima itaque horum putridorum morborum cauſſa, in aerei acidi defectu poſita et nonnullorum graecorum et latinorum Auctorum exemplis illuſtrata, ad alias occaſionales progreditur Noſter. Quibus adnumerat victum prauum, inediam, moerorem, nimium veneris exercitium, mittimus alias. Quamquam vero famem maligni et contagioſi ſequuntur morbi, vti morbi caſtrenſes militum ſunt, tamen ab eorum partibus non eſt Noſter, qui rentur has febres ſolummodo ab inedia proficiſci, cum et diuites, hoc neutiquam preſſi defectu, nec vllis vitae commodis deſtituti, in hos morbos inciderint.

p. 17. Non aequabant in omnibus morbi vis, progreſſus, duratio et finis. Temperamento bilioſo praediti anteaque hepatis vitio laborantes morti erant proximi Abſceſſu enim gangraenoſo apud horum plurimos in oſſis ſacri formato regione poſt decimum quartum diem morbus recte iudicabatur; vrina vero turbida graueolens, ſudores totius corporis, aluus bilioſa abſceſſus ad parotidem imperfectam ſubminiſtrabant criſin. Defuncti vero hepatis vel ſtomachi vel inteſtinorum, inprimis tenuium vel pulmonum inflammatione, metaſtaſi ab hepate ad pectus ſubito facta, interimebantur. Interdum autem in cadaueribus ventriculus et inteſtina, putrida bile lumbricisque ſine vllo internae inflammationis veſtigio repleta, inueniebantur. Pauci, ſtero accedente, conualeſcebant et duo adoleſcentes haemorrhagia narium iuuabantur.

p. 18. His pertractatis, ad methodum his febribus medendi venit et a venaeſectione incipit. Quam non ſemper neceſſariam in hoc morbo cum aliis indicat, ac ſi inſtituitur, primis morbi diebus atque magna cum circumſpectione eam ſuaſit. Quantum ea enim prodeſt morbis, ab inflammatoria ſanguinis di-

atheſi

atheſi pendentibus, tantum obeſt iis, qui a putrida humorum colluuie, ac inprimis quidem ab alcaleſcente bile, proficiſcuntur, ob horum ſangninem reſolutum et illorum ſanguinem denſum et craſſum. Non temere profecto Noſter venaeſectionibus, minus recte inſtitutis, et debilitatem aegrorum magis magisque augentibus, criſes imperfectas, quae ab Hippocraticis criſibus plane differunt, tribuit.

Venaeſectione itaque parum vel prorſus non ap. 25.
Noſtro adhibita, cum in primis viis, ac praecipue quidem in hepate morbi ſedem eſſe non dubitaret, laxantia anthiphlogiſtica cum clyſteribus, ex chamomillae floribus, nitro et melle compoſitis, cum magno fructu dedit, praemiſſis interdum vomitoriis ex ipecacuanha paratis. Qui enim ab initio vſque ad finem morbi alui deiectionibus, aeruginoſam bilem prodentibus, laborabant, facilius conualuerunt, nec tantam morbi vim ſunt paſſi, quantam ii qui, aliam experiebantur criſin. Olea e. c. amygdalarum dulcium et narcotica cum aliis prorſus reiicit. Caeterum, diaeta animali plane repudiata, victum vegetabilem ſuaſit et propinatis antiſepticis remediis, e. c. radice ſerpentariae Virginianae, herba ſcordii, chamemaeli floribus et cortice Peruuiano, adhibuit interdum ſemen ſantonici ad vermes expellendos, nec non ad ſedandum pulueres ex nitro camphora et ſuccino albo. Ad vires ſuſtentandas praefert in hoc morbo hauſtum vini generoſi omnibus cardiacis et commendat aeris liberioris acceſſum et ſtragulorum induſiorumque munditiem.

Nec raro, relictis ſcybalis et corrupta bile, tu- p. 35.
mor tympaniticus cum ſingultu atque cum et ſine vrinae ſuppreſſione apparebat. Qui vrinae ſuppreſſione laborabant, omnes propemodum interierunt, qui vero absque ea tympaniticum tantummodo habebant tumorem, externo aeque ac interno aquae gelidae vſu ab hoc tumore breui ſunt liberati.

Tan-

p. 39. Tandem de reuerſione huius morbi quaedam addit. Ex quibus haec duo potiſſimum notanda, febrem tertianam, epidemice graſſantem, huius morbi acerbitatem multum imminuiſſe ipſumque, non ſeſe, vlterius ventris fluxu ſoluiſſe, ſed per ſudorem finiiſſe. Ad eum praecauendum laudat acida vegetabilia ac mineralia.

p. 45. Huic tractationi annexa eſt oratio de moderatione ingeniorum in diſciplinarum ſtudiis, in qua oſtenditur, quantum detrimenti in omnibus omnino diſciplinis ſemper attulerunt et quantum quotidie adhuc iis officiunt quaedam fictae a phantaſia potius, quam a recta ratione ſtabilitae hypotheſes, quae literis maximo ſunt impedimento.

V.

Abhandlung über eine beträchtliche Anzahl Erdarten, aus Sr. Majeſtät deutſchen Landen etc: und von derſelben Gebrauch, für den Landwirth. Auf Befehl der Königl. Churfürſtl. Cammer dem Druck übergeben. Hannover, bey Iohann Chriſtoph Richter. 1769. 8. *Pl.* 20.

h. e.

Tractatus de pluribus terris, quae in germanicis Regis Angliae prouinciis reperiuntur, deque vſu earundem, in commodum eorum, qui rem oeconomicam exercent, conſcriptus. Iuſſu Camerae Regio Electoralis typis mandatus.

Auctor huius libelli peritiſſimus ille Hanouerani pharmacopoeus, Cl. ANDREAE, tractatum hunc in ſectiones ſeptem diuidit, quarum prima modum terras diſquirendi tradit; altera de corporibus, quae

quae terris iſtis immixta ſunt, agit; tertia tercentum fere terrarum ſpecies earumque partes contentas deſcribit; quarta characteres et diuiſiones terrarum variarum, nec non nomina earundem definita vna cum tabula generali et inſtructione, terras in vſum agriculturae impendendi exhibet; quinta vſum terrarum, quatenus eundem nonnullae praefecturae regiae electorales indicarunt, commemorat; ſexta ſummam ſcriptorum quorundam, quae de vſu ac vtilitate margae agunt, vna cum animaduerſionibus Cl. Auctoris communicat; ſeptima demum de terris, quatenus aliis vſibus, praeter oeconomicum, inſeruiunt, agit. Ex his nonnulla hinc inde decerpere liceat.

Colores terrarum, vt oſtendit Noſter, particu- p. 1.
las martiales plerumque ineſſe, ſignum dant, licet non negandum ſit, terris etiam, quae nullum colorem exhibent, interdum partes martiales inhaerere. Ad figuram terrarum attendens, Noſter notat, eam ſocci pendendam non eſſe: ſic enim tophum fiſtuloſum, indoli calcareae, ſoli ſeu terrae ſolidae compactae cohaeſionem melius imminuere, quam lapidem calcareum vulgarem, autumat. Terra, tactu pinguis, vel macra vel aſpera oſtendit, vtrum argillaceae, an calcareae vel arenoſae indolis ſit. Durities et pondus itidem attendenda ſunt: quo durior enim et ponderoſior marga eſt, eo minor quantitas eiusdem ad emendandos agros requiritur. Ad ſaporem et odorem vix adeo reſpicit Noſter; id vero perquiſiuit, an terrae lapidisue ſpecies citius vel tardius in aqua dilabantur. Ex repentina enim comminutione coniicit, non opus eſſe, vt eiuſmodi terra, quae aratris ſubigenda eſt, diu ante in agros devehatur, quod tamen ſuadet, ſi terra tarde in aqua dilabitur, quo eadem aëri diu expoſita, ſenſim ſenſimque ob ſolis, pluuiae et frigoris actionem dehiſcat;

cat; ſicque ad vſum praeparetur. Terras praeterea, quas diſquiſiuit Noſter, olea, terrarum fullonicarum more, attraxiſſe, neque eadem in aquâ reddidiſſe, neque etiam phlogiſton, neque ſalia exhibuiſſe, perhibet.

p. 9. His praemiſſis, notat Noſter, in terris, quibus cum examen inſtituit, ſe reperiſſe terram calcaream, partes martiales, gypſum, terram argillaceam et arenam. Vt autem de his partibus certior quis fiat, primo ſpiritum ſalis adfundere, factae ſolutioni liquorium alcalinum addere, ſuadet: ſic enim terra calcarea praecipitatur. In eandem poſthac ſolutionem puluerem gallarum indere, praecipit, vt ex obtento colore rubro particulae martiales manifeſtentur. Quod ſolutionem cum ſpiritu ſalis reſpuit, cum ſolutione alcalina coqui iubet, quo ex tartaro vitriolato per euaporationem obtento, gypſum ineſſe, cognoſcatur. Quod adhuc reſtitit, aquae ope elutriri iubet. Hoc enim modo argillam et arenam ſeparari, et argillam ex tenacitate, lubricitate et indurationem per ignem, arenam vero, ſi tactu diſquiratur, ex aſperitate, ſique cum ſale alcalino per ignem fundatur, ex vitreſcibilitate cognoſci, conſtat.

p. 19. Corpora, quae terris admixta reperit Cl. Auctor, fuerunt ſpatum, oolites, tophus, glacies marina, ſelenites, mica, dendrites. Spatum Noſter pro lapide calcareo depurato habet, qui ab aqua ſolutus, in rimis ac fiſſuris lapidum calcareorum concreſcit. Si vero aqua, particulis calcareis impraegnata, in cauernis maioribus, guttatim per earum rimas transſtillet et exuaporando exſiccetur, ſtalactiten omnis; ſique per ſtrata arenae vel argillae macrae fluat minores particulas obducendo, ooliten producere; ſique demum eiusmodi aqua, terrae ſuperficiem inundet, ibidemque aut ramulis, aut radicibus, aut foliis cet. accreſcat: tophum formare eam autumat.

Micam

Micam Noſter ab argilla originem duxiſſe, pingui tamen et tenaci indole orbatam, aſſerit.

In tertia ſectione tercentum fere ſpecies terra- p. 23.
rum lapidumue, in Electoratu Hanouerano repe-
riundorum, deſcribuntur, de quibus autem, cum
nos non tangant, nihil communicamus.

In ſectione quarta terras definit Noſter et in p. 204.
primis ad margam attendit. *Marga* Ei dicitur, ſi
partes aequales calcis et argillae inter ſe inuicem
mixtae ſunt, miſcela *margae calcareae* nomen acci-
pit, ſi tres partes calcis ad vnam argillae ſunt, ſin
vero tres partes argillae ad vnam partem calcis ſunt,
miſcela *marga argillarea* vocatur. Si ad tres partes
margae vel margae calcareae, vel margae argillaceae
vna pars gypſi eſt, *marga gypſea*, vel *gypſeo calcarea*,
vel *gypſeo argillacea* vocatur. Pari quoque ratione
marga *arenacea*, vel *arenaceo calcarea*, vel *arenaceo*
argillacea dicitur, ſi vna pars arenae admixta eſt.
Quodſi vero partes aequales arenae et margae inter
ſe inuicem mixtae ſunt, marga haec ad diſtinctio-
nem *margae arenaceae* a Cl. Auctore *Sandmergel* vo-
catur. Quodſi demum vltra tres partes calcis cum
argilla commixtae ſunt, miſcela haec margae nomen
non accipit ſed *calx argillacea* vocatur et vice verſa,
ſi vltra tres partes argillae ad calcem admixtae ſunt,
miſcela *argiliae calcareae* nomen habet. Idem quo-
que de arena dicitur, v. g. *arena calcareo argillacea*
vocatur, ſi maior copia argillae, quam calcis cum
arena commixta eſt.

Quod ad vſum harum terrarum attinet, ad cor- p. 208.
rigendum ſolum ponderoſum, frigidum et humidum
calx laudatur, quo cohaeſio ſoli imminuatur, ipſum-
que ſolum calidius reddatur et exſiccetur, herbae
autem inutiles impediantur. Similes fere affectus,
debiliores tamen, edere dicitur marga calcarea eius-
que varietates, hisque debiliores a marga eiusque

varieta-

varietatibus et debiliſſimos ab arena prouenire, Noſter aſſerit. Ad corrigendum ſolum leue et aridum et ad augendam eiusdem denſitatem indolemque frigidam humidamue marga argillacea eiusque varietates, marga ipſa cum varietatibus ſuis commendatur. Argilla autem effectus magis exiguos vel ſaltem tardiores edere dicitur.

p. 210. In ſectione quinta communicat Cl. Auctor relationes praefecturarum, quae de vſu terrarum in corrigendis agris pratisque exponunt, de quibus autem nihil decerpere licuit.

p. 247. In ſectione ſexta nonnulli libri, de marga agentes, recenſentur, eorumque ſumma traditur. Recenſentur nimirum 1) *commentatio* Cl. SEIP *de marga*, in tertia, quarta et quinta parte collectionum vtilium, quae Hanouerae prodierunt, reperiunda; 2) *commentatio de marga eiusque vſu*, in parte 17. 18 et 19. Nouellarum Altonauienſium anni 1769 reperiunda; 3) nonnullae obſeruationes de marga in *muſeo ruſticò et commerciali*, quod anno 1764 Londini prodiit; 4) BURMESTERI *diſſertationes duae de marga eiusque hiſtoria naturali et vſu oeconomico*, Londini 1754 impreſſae; 5) tandem ea, quae in *agriculturae fundamentis chemicis*, Auctore I. G. WALLERIO, Vpſaliae 1761 occurrunt.

p. 287. In ſectione ſeptima oſtendit Cl. Auctor, quaenam emolumenta praeter oeconomica a deſcriptis terris exſpectanda ſint. Sic nonnullas terras argillaceas, ſi aëri exponantur, vel ante expoſitionem cum ſulphure calcinentur, ad producendum alumen: alias calcareas, ſi calcinentur et cum argilla vulgari miſceantur, ad generandum nitrum; alias ad calcis vivae gypſique calcinationem vtiles deprehendi, alias argillaceas fullonibus inſeruire poſſe; alias itidem argillaceas, ſi cum ſilicibus calcinatis, vel arena miſceantur, ad effingenda vaſa figulina varia, aliasque demum in vſum pictorum adhiberi poſſe, autumat.

VI.

VI.

ALBERTI V. HALLER hiſtoria ſtirpium indigenarum Heluetiae inchoata. To. I. II. III. Bernae ſumpt: Societ: typographicae 1768. fol. Praefat. et praemitt. pagg. 58. To. I. pagg. 444. To. II. pagg. 323. To. III. cum addendis et indice pagg. 204. tab. aen. 48.

Helueticarum ſtirpium enumeratio, quam Ill. Auctor, an. 1742 edidit, non mutato tantum titulo, auctior, ſed nouum potius, omnique ex parte perfectiſſimum opus et hinc Helueticarum plantarum hiſtoria abſoluta potius quam inchoata prodiit, ita, vt prius opus huic fundamenti loco quidem, aſt multis modis locupletatum mutatumque fuerit; id quod ex comparatione vtriusque ſatis et abunde patebit. Antequam vero hanc ſpecialius inſtituamus, quaedam ex praefatione repetamus.

Quae de Heluetia et inprimis Alpium ſitu et naturalibus donis accurate expoſuit Ill. Auctor, cum ad nos preſſe non pertineant, lubenter omittimus et modo monemus, Heluetiam pene omnes regiones, ab vltima Lapponia et Spizbergia ad ipſam vſque Hiſpaniam repraeſentare et hinc in exiguo ſpatio numeroſiores plantas exhibere, quam ea regna, quorum catalogos herbariorum hactenus accepimus; et tamen magna pars Heluetia diuitias ſuas nondum aperuit, et ex auſtrali ac boreali parte, ex alpibus Rhaeticis aliisque, ex Italiae vicinis tractibus, illisque, qui circa lacus Tranſalpinos ſiti ſunt, vt Lugani, ex Turgouia, agro Solodorenſi, Friburgenſi e. ſ. p. noua et vberrima meſſis reportanda eſſet, ſi et has regiones botanices periti viſitare vellent atque poſſent. Cum itaque tanta ſit Heluetia in producendis plantis felicitas, plures omni tempo-

re exſtiterunt viri, qui in haeć naturae dona inquiſiverunt. Hos omnes chronologico ordine recenſuit, cuilibetque laudes et merita ſua tribuit Ill. Auctor et, BRUNFELSIO, RHELLICANO, et TRAGO nominatis, C. GESNERUM principem ſtirpium Helueticarum Auctorem cognouit, eiusque labores copioſius deſcripſit et denique dixit: *neque multa poſteris addenda reliquiſſet, neque* CLUSIUS *vnquam tot alpinarum ſtirpium detectarum gloria inclaruiſſet, niſi* GESNERI *codices intercidiſſent;* addidit his ARETIUM aliosque, a BAUHINORUM autem obitu ad SCHEUCHZEROS parciſſimos Helueticorum in re herbaria labores inuenit. Poſtea coaetaneos ſuos commemorauit, qui ſunt: CAPPELER, BENEDICT STAEHELINUS, de quo ſcripſit: *candidiſſima anima, ſui commodi negligens, totus inquirendis rei naturalis theſauris addictus; in ſtirpibus, per patriam ſuam detegendis adeo felix Eius induſtria fuit, vt a* VAILLANTIO *pro prodigio ſit habitus*, etc. ſuccedit EMANUEL KOENIG, IOH. GESNERUS, LE CLERC, DUVERNOI, HUBERUS, HOFERUS, GAGNEBIN, MIEGIUS, DE SAUSSURE, WARNERUS DE LA CHENAL, SCHINZIUS, DICKIUS, DE COPPET, CLARET, NEUHAUS, TRIBOLET, POTT, et RICOU, qui omnes ad hoc opus aliquid contulerunt; immo ſyluarum cuſtodes, quos etiam nominauit, alpes occidentales, et loca, hominibus literatis inacceſſa, adierunt, plurimasque pulcherrimas plantas inde reportarunt et Auctori tradiderunt. Denique de ſe ipſo dicit Ill. Auctor, deque illis laboribus, per quos ſtuduit perfectiſſimum hoc opus colligere, cuius prima initia 1728 fecit et ad annum vſque 1761 continuauit, cumque non ſperaret, in patriam reuerſurum eſſe, 1742 enumerationem edidit, aſt poſtea inſigni contentione et labore in ſupplendis indigenis plan-

plantis laborauit, vt per propria alienaue itinera pene omnes viderit, ab aliis nominatas, atque trecentas et quinquaginta ab Eodem primo fere detectas addere potuerit. Hinc numerus omnium est 2486, inter quas 1674 flore perfecto, siue staminibus veris, reliquae flore imperfecto, siue staminibus destitutis praeditae.

Non solum autem de augendo plantarum numero sollicitus fuit, sed etiam characteres emendavit, genera maiora in ordinem redegit, nomina specifica fere vbique noua fecit et multis modis historiam hanc et vniuersam rem herbariam locupletavit. De quibus nunc specialius agamus. Perfectionem methodi in eo positam esse, dudum declarauit Ill. Auctor, vt similes plantae cum similibus ponantur, dissimiles separentur, hinc et nunc neque ex sexus ratione simillimas plantas separauit, gramina aliasque classes naturales lacerauit, neque ob vnicam aliquam notam plantam, caeterum similes, diuulsit, et in ordinibus constituendis numero proportionem praetulit. Has, a se Ipso sancitas leges, in priori quidem opere iamiam obseruauit, attamen methodum suam in multis mutauit, emendauit et ad maiorem perfectionis gradum perduxit. Ita plantas inuerso ordine nunc recensuit et, flore composito praeditae, quae in priori opere vltimum occupabant locum, nunc primum acceperunt; ita et plantae, ad eandem classem pertinentes, eodem plerumque modo transpositae fuerunt, vt e. gr. *verbena*, quae vltima in sua classe erat, nunc facta fuerit prima. Plures, antea ad apetalas relatas, nunc petaloideis adposuit, vt est *Fraxinus*, de quo scribit: *cum in aliis plantis subinde, neque perpetuo petalis destitutis, genus et classis a petalis sumatur, vt in Portula,* DILL. *etiam Fraxinum inter petaloideas stirpes repono, etsi nostra species petala nulla fert:* porro *Stellaria,* To. I. p. 228.

ria, *Rhamnus* cum *Frangula*, *Vitis*, *Hedera*, *Potamogetton* et aliae. *Cruciatas* nunc finit *Trapa*. Claſſis ſexta, *Iſoſtemones*, omnium maxima eſt, huiusque plantae fere omnes aliter fuerunt diſpoſitae; iuvabit huius breuem indicem appoſuiſſe. Sunt itaque *Iſoſtemones*

1. Polypetalae flore diffformi, *impatiens*, *viola*.
2. Dicarpae, *aſclepias*, *peruinca*.
3. Cucurbitaceae, *bryonia*.
4. Solanaceae, *ſolanum*, *phyſalis*, *mandragora*, *belladonna*, *hyoſcyamus*, *verbaſcum*, *ſtramonium*.
5. Aſperifoliae, *cynogloſſum*, *ſcorpiurus*, *heliotropium* etc.
6. Vaſculiferae
   a) vniloculares, *primula*, *aretia*, *androſace*, *anagallis* etc.
   b) biloculares, *cuſcuta*, *plantago*.
   c) triloculares, *conuoluulus*, *polemonium*.
   d) quinqueloculares, *azalea*.
   e) fructu molli, *aquifolium*.
7. Coronatae, *opulus*, *viburnum*, *ſambucus*, *caprifolium*, *rapunculus*, *campanula*, *pimpinella*, *ſanicula*.
8. Stellatae, *rubia*, *galium* etc.
9. Vmbelliferae, *eryngium* et reliquae.
10. Epicarpiae, *circaea*, *ribes*.
11. Pericarpiae
   a) fructu molli, *rhamnus*, *vitis*, *hedera*, *rhus*, *berberis*, *euonymus*.
   b) fructu ſicco, *ſtaphylaea*, *parnaſſia*, *rorella*, *ſtatice*, *linum*, *telephium*, *corrigiola*, *potamogetton*.
12. Calyciflorae, *ſalicaria*, *peplis*.

Cum autem integram tabulam ordinum et generum, quam Ill. Auctor operi praemiſit, hic repetere non peſſimus, claſſes tamen et ita methodi Hallerianae

lerianae fundamentum adhuc addamus. Sunt itaque plantae Claſſis I. flore compoſito, II. didynamiae, III. difformes polypetalae ſeu papilionaceae, IV. cruciatae. V. meioſtemones. VI. iſoſtemones. VII. diploſtemones. VIII. polyſtemones. IX. liliaceae. X. ſatyria. XI. ſpathaceae. XII. gramineae. XIII. apetalae. XIV. caulifoliae. XV. epiphylloſpermae. XVI. muſci. XVII. lichenes. XVIII. filamentaceae. XIX. fungi.

Ratione generum magnam porro animaduertimus vtriusque operis differentiam; de his Ill. Auctor ita ſcribit: *genera magis et magis ſentio plurima artificialia eſſe, neque vllam legem dari, ex qua deſinias, quantum diſcriminis ad duo genera ſeparanda ſufficiat. In iis ergo aliquam iudicii mediocritatem ſeruavi, vt* LINNAEUM *ſaepe ſecutum, deſererem, ſi quando non ſatis certae notae mihi ſeſe offerrent, ex quibus affines ſpecies ſepararem. Minutiis, nectariis, punctis, ſetis minus tribui.* Quo itaque genera, nunc ab Ill. Viro aſſumta, innoteſcant clarius, plurima, ſi non omnia, proferamus, quae reſpectu prioris operis vel mutata, vel nouiter conſtituta, vel etiam accuratius definita fuerunt. Praef. p. 22.

Hyoſeris ad *lapſanam* reduxit, et ſemina nuda pro charactere aſſumſit; *rhagadiolum* autem ſeminibus, in eodem flore centralibus, pappo coronatis, et radialibus nudis ſeparauit. To. I. p. 3.

Taraxaci difficile genus, vt ſimplicius redderetur, ſeparauit ab eo quae plumoſo pappo ſunt et quae facile cum *picride* manere poſſunt, ac calicem foliis imis reflexis, pappumque ex ſtylo pro nota conſeruauit. p. 23.

Doronici et *arnicae* genus conſeruauit denuo; *doronico* calicem in duos foliorum ordines dilatatum et ſemifloſculorum ſemina non pappoſa, floſculorum autem pappo coronata; *arnicae* ſimilem quidem calicem, aſt omnia ſemina, pappo coronata, tribuit; ſcripſitque: LIN- p. 36.

NAEUS *neſcio, quomodo nomina inuertit et veras arnicas ex ſua definitione doronica vocauit, cumque iſta ſpecie reliquit, cui euidenter character eſt doronici noſtri, a radiorum ſeminibus nudis petitus. Filamenta quinque in tubo florali non potui in ſiccis reperire, cum accurate in arnica officinali inquirerem, niſi quinque linearum originem velis, quae in petalum continuantur.*

p. 53. *Bellidaſtrum* edit. I. nunc *arnicae* fecit ſpeciem. *Abſinthium* ab *artemiſia*, vt in H. Goett. fecerat, denuo diſtinguit lanata placenta, et cum haec *andryalae* characterem conſtituat, cur non etiam *abſinthii*?

p. 58. *Carpeſium*, antea ad *tanacetum* relatum, pro peculia-

p. 63. ri genere aſſumſit. *Gnaphalium* et *filaginem* LINN. vltimo ſeruato nomine, coniunxit, nec enim ſerum, nec calicis figuram conſtantem eſſe et plura LINNAEI *gnaphalia* calicem acutum habere, monuit. Omnibus ſpeciebus commune eſt, diductis foliis fila

p. 69. agere. *Centaurium*, nouum genus, quo retulit plantas, calicis foliis ſimplicibus ſubrotundis non ſpinoſis, qualia quidem habent *rhapontica* VAILL. ſed ea radiato flore differunt. Conſtituit genus *centaurea rhapontica* LINN. et cum haec in officinis idem

p. 71. nomen gerat, illud quoque retinuit. Sub *carduo* ſpecies plerasque *cardui* et aliquas *lappae* et *ſerratulae* LINN. comprehendit, ac in receptaculo ſetas, inque ſemine pappum et ſquamas calicinas ſimplices fine erecto, pro charactere elegit. Alias *cardui*

p. 73. et *ſerratulae* LINN. ſpecies *cirſium* continet, pappo plumoſo a *carduo* diſtinctum. Monuit etiam: *a ſpinis characterem ſumere non licet, quae per lentos gradus decreſcant, et pleraque cirſia in calice tomentum habent, alia parcum, alia vberius. Arctium perſonata* et *ſerratula tinctorum* LINN. factae ſunt *cardui* ſpecies et de vltima dixit: DILLENIUS *ſerratulae genus ex ſquamis calicis appreſſis, cuſpidatis conſtituit*, EUM LINNAEUS *ſecutus ob cylindricum florem*

et

et nudum receptaculum; GMELINUS *ob nudum receptaculum ſeparabat; mihi cylindrica figura floris variabilis, neque reliquae notae certiores videntur; nam ſerratulae tinctorum receptaculum ſetis diſtinguitur. Serratulae* autem nomen nouo generi impoſuit, vel *rhaponticoides* VAILL. quae *centaurea crupina* LINN. eodem inſigniuit, eidemque tribuit folia calicina lanceolata, absque appendice, qualia ſunt in *ſerratula, cardui* ſpecie. *Iaceae* quoque nouum genus, ex noua planta, cum *centaurea nigra* hactenus confuſa, dixitque: *hoc nomen, quod in libris botanicorum vacat, impertior plantis calice inermi ciliato, quales ſunt cyani ſquamae, ſed omnibus floſculis fertilibus. Cyanum, calcitrapam* et *rhaponticum* porro retinuit, et aſſerit: *nobis non magis videtur iuſtum, has plantas, calice diuerſiſſimas, in vnum congregare, quam carduos, lappas, cirſia, carlinas, quae ſint floſculis omnibus androgynis. Aſterocephalum* cum *ſucciſa* nunc coniunxit, quae antea diſtinguebat, et *pulegium* ad *mentham* reduxit, poſtquam agnouit, et difformem florem eſſe, et galeam leuiter emarginatam et calicem quinquefidum; *ſtachyden aruenſem* autem pro ſingulari genere exhibuit nomine *trixago*, et ſcripſit: *ſtachydis genus, valde alioquin arbitrarium, his plantis liberamus, quae a mentha modice differant: labium ſuperius multo breuius ſubrotundum, parum ſubrectum, integrum, figura floris magis bilabiata; barba recta, protenſa, tripartita, medio ſegmento latiori, non, vt in ſtachyde, emarginato; calix campaniformis, in fauce villoſus, profunde quinquedentatus, obſcurius bilabiatus, dentibus ariſtatis, tribus ſuperioribus ſurſum reflexis, duobus inferioribus rectis, tubus exiguus, calice breuior. Sideritidem* a *betonica* nullo modo ſeparare potuit, hinc coniunxit et definiuit calice bilabiato, galea adſurgente, ſuperne contracta vndulata, etiam inciſa, alias integra, etiam ſerrata; barba

app. To. III. p. 183. p. 80. ib. p. 88. p. 97. p. 100. p. 114.

p. 182. trifida, medio ſegmento emarginato. *Eruum et lentem* ſeparatim conſeruauit, nonnullas vero *erui* LINN. ſpecies ad *viciam* amandauit; in hac enim claſſe, cuius pars princeps fructus eſt, neque calicem fructui praeferre et ob ſolum calicem *lentem* et quasdam *vicias eruo* adiungere, neque ad ſtigma reſpicere voluit Ill. Auctor. *Eruo*, quorſum *eruilia* LINN. filiquam tetraſpermam, ob ſemina tumentia quaſi articulatam, *lenti*, quae *eruum lens* LINN. ſiliquam latam diſpermam, et *viciae* ſiliquam longam teretem vel compreſſam, ſeminibus modice in tume-
p. 191. rem ſiliquam eleuantibus, tribuit. *Aphacam* nunc
p. 198. quoque *lathyri* fecit ſpeciem. *Eruca*, proprium genus, de quo ita: *antiquum nomen viſum eſt reſtituere plantis, quae calice fere erecto ſunt, glandulas habent quatuor, duas circa ſtamen breuius, duas inter longiora ſtamina et germen, et quarum ſiliquae, teretes aut tetragonae, cornu deſtituuntur, in quo ſinapi ſit character et braſſicae, etſi enim ſtylus aliquis de ſumma ſiliqua prodit, non ideo cornu eſt.* Huc itaque retulit: *braſſicam campeſtrem, et erucaſtrum, ſiſymbrium ſtrictiſſimum, tanacetifolium, tenuifolium, et arenoſum* LINN. Etiam *ſiſymbrium* BARRELIERII *et ſylueſtre* LINN. huc pertinebunt, eruntque varietates modo *braſſicae erucaſtri*, quam Ill. Auctor nominat *erucam caule hirto, foliis hirſuti ſemipinnatis, pinnis ſubrotundo dentatis.* Planta namque BARRELIERII in horto culta quatuor glandulas habet et *ſiſymbrium ſylueſtre, braſſicae erucaſtri* ſimillimum, perhumile, vix quatuor vnciarum vidit. *Eruca* e contrario edit. I. p. 553. propoſita, quae eſt *braſſica eruca* LINN.
p. 201. nunc facta fuit *ſinapi foliis radicalibus pinnatis, hirſutie incanis, ſiliqua cornu ſuo breuiori. Eryſimum*
p. 207. antea cum *ſiſymbrio* combinatum, nunc quidem reſtituit, aſt monuit: *genus eſſe artificiale non bonum, calicis foliola minus deorſum gibba, florem minus caryophyl-*

phylleum, glandulas modo duas ad vtrumque latus ſtaminis minoris, modo inter maiora duas, duas circa minora; ſed eae minutiae non videntur genera dare vtilia; ſiliqua quadrangula in nonnullis, in aliis teres; nobis a ſiſymbrio glandulis differt, ab heſperide calice. Radicula DILL. ob fructum, vt partem principem, cum *ſiſymbrio* ſtare nequit, is enim breuiſſimus eſt, erectus, teres, non curuus, obtuſus, vt paulum toris ſeminum ab *alyſſo* differat; hinc genus hoc reſtauravit et ad illud *ſiſymbria* tria priora edit. I. p. 548, ſiue *ſiſymbrium amphibium* LINN. reduxit. LINNAEUS enim ex tribus illis Hallerianis ſpeciebus vnam fecit, nunc autem HALLERUS No. 1. et 2. quidem combinauit nomine *radiculae foliis integris aut pinnatifidis, petalis calice longioribus*, tertiam vero, habitu proſtrato et flore exiguo diuerſam, conſeruauit nomine *radiculae foliis pinnatis, pinnis dentatis, petalis calice breuioribus.* In *naſturtio* praeter *thlaſpi* et *lepidii* ſpecies etiam *cochleariam* LINN. coniunxit et aſſerit: *difficillimam harum plantarum eſſe diſtinctionem, vt etiam aliam viam, quam olim,* LINNAEUS *ingrediatur, et numerum ſeminum, quo vſus fuerat, nunc negligat. Mihi ſignum, a ſtylo deſumtum, ſufficere videtur, cum ſilicula latior, anguſtior, vel paulo magis turgida vel planior, non perinde videntur certa eſſe. Noſtro ergo naſturtio breuis ſtylus eſt, et calix deorſum non gibbus, petala aequalia, patula, ſiliquae valuae duae oblongae, ſemina vtrinque aliquot.* Plantas, *naſturtio* ſimiles, ſed longo ſtylo inſtructas, genere *lepidii* ſeparauit. A *myagro* alterum edit. I. p. 536. ſiue *paniculatum* LINN. remouit et genus *rapiſtri* nomine, cum TOURNEFORTIO inde conſtituit, fructumque rotundum monoſpermum, ſimili ſemine praeditum eidem tribuit. In *lyſimachiae* genere LINNAEUM quidem ſecutus fuit, et fructu, in decem valuas diuiſo, ab *anagallide* differre

p. 211.

p. 217.

p. 224.

p. 278.

conceſſit, aſt in flore inſignem characteris diuerſitatem adeſſe ſimul monuit; ita in *lyſimachia nemorum* calix ad baſin diuiſus, ſegmentis acutis anguſtis, corollae ſegmenta ex rotundis lanceolata, ſubtiliter ſerrata, ſtaminum circulus barbatus breuiſſimus et fructus ouatus eſt; in *lyſimachia nummularia* ſtamina in circulum piloſum coaleſcunt, aſt calicis foliola cordata, baſi ampliori reduplicata habet et hac nota a reliquis ſpeciebus inſigniter differt; *lyſimachia vulgaris* calicis ſegmenta ouato lanceolata, ſtamina in tubum circa ſtylum coalita et ſtylum longe de flore eminentem; et *thyrſiflora* calicem ad baſin in peranguſta ſegmenta diuiſum, corollam exiguam, in graciles, pene ſubulatas lacinias profundiſſime ſectam et ſtamina cum tuba longe de tubo
p. 282. floris erumpentia oſtendit. *Gentianae* genus, vt antea, retinuit, addit autem: *multiforme eſt genus, neque tamen ſwertium ſeparare licet, ob ſimilia fere ornamenta, quae ſunt in gentianis. Vaſtum tamen genus egeret diminutione; pneumonanthes* genus vix admitti poſſe, ex ſumma adfinitate cum *gentiana punctata* LINN., cuius ſtamina quoque in longis filamentis
p. 296. antheras coalitas ſuſtinent. De *aquifolio* nullam mutandi nominis cauſſam inuenit, floresque nec ſexu, nec petalorum numero variare, omnes potius, quas diſquiſiuit, eandem fabricam habere, aſſerit, vidit praeterea bicollem cum ſtaminibus fructum ſuccreſcere, eumque polline ſeminali conſper-
p. 303. ſum eſſe. *Phyteuma* et *iaſione* LINN. *rapunculi* nomine coniunxit, etſi in priori petala ipſa in cornu conueniunt, in *iaſione* antherae et in *rapunculo* petala immatura in cylindrum circa tubam coëunt, non ita in *iaſione*, etſi antherae magis connatae ſunt in *iaſione*, in *rapunculo* magis vngues ſtaminum coaleſcunt, etſi denique in *iaſione* circa florale capitulum numeroſa folia in calicis communis ſpeciem colli-

guntur,

guntur, in *rapunculo* aliquanto minus euidenter, nam et iſti plerique folia ouata ſub ſpica florali habent. Erit itaque *rapunculus* fructu bi-aut trilocu-lari, coronato, calice quinquefolio et petalis quinque in origine ſua coaleſcentibus, plerumque, dum flos immaturus eſt, in incurui tubuli ſpeciem circa tubum coniunctis, poſtea reflexis et patulis. *Rubeo-* p. 319.
lam cum *aſperula* et *tordylii* ſpecies cum *caucalide* p. 323.
combinauit. Huic inuolucra ſunt varia, ſemina aculeata et flores alii interiores mares aequalibus petalis, alii exteriores androgyni maiores, inaequali corolla praediti. In *tordylii* veris ſpeciebus ſemen non aculeatum eſt et, ſi floſculi omnes fertiles characterem huius conſtituant, *tordylium latifolium*, quod *caucalis foliis aſperis pinnatis, pinnis ſerratis, inuolucris ouato lanceolatis* hic dicitur, certe eſſet ſeparandum. Aſt dudum notauit Ill. Auctor, *tordylium* ſiccis locis meros flores mares gignere, in humidis androgynos: ſpecies ſemine plano rotundo, ſint margine granulato vel laeui et petalis cordatis inaequalibus, nomine et genere tordylii conſeruauit. *Liba-* p. 361.
notis RIV. nec cum *ſelino*, nec *athamanta* coniungen- p. 325.
da et a *caucalide* villo ſeminis molli, a *dauco* inuolucro non laciniato diuerſa, diſtinctum genus manſit. *Myrrhis, ſcandix* et *chaerophyllum* genera ſunt valde p. 327.
quidem ſibi ſimilia, ſemine tamen in duo diſtinguenda; *chaerophyllo* ergo ſemina roſtrata non ſulcata, *myrrhidi* ſemina euidenter ſulcata tribuit, aſt monuit Ipſe; conſultius eſſe et haec coniungere, cum per *chaerophyllum aureum* confluunt *ſcandix anthriſcus* LINN. in edit. I. ad *chaerophyllum* relata, nunc facta et dicta fuit *caucalis vaginis lanuginoſis,* p. 325.
folio triplicato pinnatis, ſeminibus roſtratis. Occaſio- p. 345.
ne *bupleuri falcati* monuit, hanc ſpeciem oſtendere, ab inuolucris characterem ſumi non poſſe, modo enim vtrumque inuolucri genus habet, modo vnicum,

cum, eaque integra, diuiſa, lata, acuta, omnimodo
p. 345. diuerſa. *Siſon* LINNAEI cum *ſio* conjunxit, et
p. 354. *cicutam viroſam* huc denuo reduxit. *Selinum, athamantam* et *ſelinum* LINN. comprehendit et a *peucedano* vix differt, niſi calicis proprii defectu, hinc et
p. 365. *peucedanum Alſaticum* huc reuocauit. *Frangulam rhamno* adpoſuit et eſſentialem characterem ſumſit a calice campaniformi, qui exigua petala producit; ſubeſſe tamen diſcrimen monuit in calice erecto campaniformi ſemiquinquefido, petalis rhomboideis minimis, ex interuallis ſegmentorum calicis enatis, tuba ſimplici et emarginata, ſexu coniuncto in eo-
p. 381. dem flore et bacca dipyrena. *Alſines* nomine nunc denuo omnia et ſeptem illa comprehendit LINNAEI genera, ſcilicet *alſinem, arenariam, ſtellariam, ſpergulam, ſaginam, moehringiam* et *holoſteum:* ſcripſitque, *cum mihi methodus naturalis ſola placeat, non potui hoc genus diuellere, etſi enim aliqua commoditas in hac diuiſione eſſe videtur, tamen non poteſt vllo modo alſine temuifolia ab altera ſimillima diuelli, quarum vna penta- altera decaſtemon eſt. Ita genus alſines expungetur. Porro ſtellaria ab arenaria non magis differt, quam lychnides quadrifidae a bifidis, quas* LINNAEUS *coniunctas relinquit, aut drabae petalis integris et bifidis. Spergula ab arenaria ob ſolas tubas non videtur ſeparari poſſe, cum ſpergula ſegetalis, arenariae torfaceae nodoſae adeo ſimilis ſit. Tetrapetalam alſinem fugacem a ſimillima alpina pentapetala ſeparari non ſuſtinui, neque ob ſola ſtamina moehringiam a ſagina, quare genus naturale cum* TOURNEFORTIO
p. 393. *conſeruaui.* Genera, in quae *lychnides* diuiduntur, artificialia quoque eſſe concedit, cum tamen facillima, eaque conſtanti nota diſtinguantur, hanc opportunitatem negligendam eſſe, Ipſi non videtur, retinuit hinc *ſaponariam*, aſt eidem *gypſophilam* addidit et in *viſcagine cucubalum* et *ſilenem* coniunxit;

priori

priori duas, posteriori generi tres tubas pro charactere tribuit et addidit: LINNAEUS *plantis, quarum petala sunt absque auriculis nomen facit cucubali, auriculatis silenes; sed cur saponarias a reliquis speciebus ob eandem notam non separat? cur non gentianas? et lychnidem alpinam veris auriculis destitutam et dioicam auriculis magnis ornatam? potestne veficaria lychnis a been toto genere separari? Agrostemma* cum *lychnide* tubis quinque conuenit, et hinc Ill. Auctor nunc modo *saponariam*, *viscaginem* et *lychnidem* retinuit. Ita et de *sedi* genere pristinam seruauit sententiam nec *semperuiuum* a *sedo* separare voluit; *nam neque simplicem staminum numerum habet, neque destituitur nectariis Linnaeanis, neque licet ob numerum solum genera diuellere; glandulis squamisue multa seda carent, neque illa a semperuiuo absunt;* et de *rhodiola* scripsit: *similitudo summa non magis finit a sedis remouere, quam valerianas, lychnidesue sexu distinctas a reliquis. Tetralix* edit. I. p. 418. nunc *ericae* est species, eademque *ericam carneam* et *herbaceam* LINN. simul comprehendit, et priorem pro adulta planta, alteram pro hiberna iuniore flore habuit. p. 408. p. 411. p. 432.

Oxycoccum quoque cum *vaccinio*, *helianthemum* cum *cisto*, et *luteolam* cum *reseda* coniunxit. *Mespilum*, *sorbum*, et *crataegum* LINNAEI *mespili* nomine combinauit, fuerunt enim ex solo tubarum et seminum numero separata; omnibus est fructus baccatus, absque cartilagineis loculis, in quibus semina nidulantur. *Fragariam* CRANZII nunc quoque assumsit, et eo nomine *fragariam*, *potentillam*, *tormentillam*, *sibbaldiam* et *comarum* LINNAEI comprehendit, *quae*, vt dixit: *ipsa natura vetat separari. Fragariam cum pentaphyllis retinet simillima esculentae species sterilis fructu sicco; tormentillam solus petalorum numerus non potest auellere, neque staminum numerus in sibbaldia. Comari placenta carnosa non plus valet,* p. 436. T. II. p. 2. p. 11. p. 30. p. 44.

p. 60. *valet, quam in fragaria, neque minora petala. Atragenen* a *clematide* nunc ſeparauit; *ficariae* genus nunc porro conſeruauit, cum calix triphyllus, petala plura octona inuoluat, et in *ranunculo* idem foliorum calicis et petalorum numerus eſſet in omnibus ſpeciebus quinarius; partium enim rationem plus valere, quam ſquamarum minutias, hic iterum af-
p. 82. firmauit Ill. Auctor. *Trollium* ab *hellebori* ſpeciebus nunc remouit, licet nec bonum nomen ſit, nec tubulis cauis deſtituatur; petalis et ſiliquis numeroſis
p. 83. tantum differt. Ita et *iſopyri* et *antherici* Sui genus
88. conſeruauit, reliquas autem *antherici* LINN. ſpecies
p. 100. ad *phalangium* reduxit, de quo ſcripſit: *a ſcilla non video, vt diſtinguatur, ab ornithogalo poteſt ſtaminibus non triſulcis ſeparari; petala patula non poſſunt*
p. 103. *inter characteres recipi. In ornithogalo* LINNAEUS *characterem ſtaminum excludit, ſed addit, initium petali erectum eſſe, idemque perſiſtere; ea nota perobſcura eſt.*
p. 120. *Muſcari* ad *hyacinthum* nunc retulit, licet enim corolla differat, conſentit tamen vterque fructu, ex tribus globis compoſito, tuba ſimplici, flore breuiori, ſtaminibus etiam flore breuioribus; poros melli-
p. 123. feros reperire non potuit. *Leucoium* cum *galantho*, propter ſummam in tota vtriusque plantae facie ſimilitudinem, coniunctum reliquit. *Satyriorum*
p. 131. characteres et genera reformauit. Notemus nunc modo ex ſtaminibus genera conſtituiſſe, horumque quatuor ſtabiliuiſſe. *Orchis*, qua *orchis, ſatyrium* et *ophrydis* ſpecies pleraeque vniuntur, duo habet ſtamina filamentis conſpicuis et in ſtaminibus proprii cuculli exſtructi ſunt, in breui columna membranacei, velo quaſi clauſi, quod fiſſum ſuo tempore, antheras dimittit; antherae non ſunt capſulae, ſed filum conuolutum in globi ſpeciem, quod vndique ſphaerulas ſpermaticas ſibi adnatas habet. *Epipactis*, quorſum *helleborine, ophrys, nidus auis* et *limodorum*

TOURN.

TOURN. vel *ſerapias* et aliae *ophrydis* ſpecies LINN. reuocantur, ſtaminea columna ab *orchide* differt; ex germine ſcilicet firma, carnea, ſemicylindrica columna erigitur, quae gerit ſuperne ex filamento articulatum, fungoſum, ſubrotundum corpus, duabus foueis exſculptum, in quibus ſedent absque filamentis immerſae duae antherae, anterius ſibi propiores, poſterius remotiores, nunquam quicquam filamenti ſimile habentes, ſed velum, quo lacerato, tota cohaerens antherae maſſa exit. *Calceolus* TOURN. et petalorum numero differt, et columna media, quam LINNAEUS tubam vocat, ab antheris eſt diſtincta et ad illius latera duo vngues ſolidi diuergentes, triangulares, ſub quorum ſingulo anthera ſeſſilis, transverſim lata, deorſum bilocularis, ſepto diuiſa haeret. *Corallorhiza* denique, a LINNAEO ad *ophridem* relata, valde quidem adfinis eſt *epipactidi*, antheris quatuor autem diuerſiſſima. *Schoenum album* in edit. I. genere peculiari propoſuerat, quem nunc ad *ſcirpum* amandauit, et *ſchoeni* et *ſcirpi* ſpecies quasdam *mariſco* ſuo addidit; monuit etiam: *ſchoeni nomen non bonum eſſe, nimis ſimile ſchino et graece iuncum ſignificans.* In charactere etiam a LINNAEO receſſit, et in nulla *ſchoeni* ſpecie ſex petala reperit; immo aliquot ſpecies ita differunt, ne poſſint coniunctae manere. A *ſcirpo* ariſtarum defectu ſeparatur. *Cyperoidem* et *vluam* cum *carice* coniunctas reliquit. In graminibus genera nunc aliqua ſuis nominibus inſigniuit et partim Linnaeana, partim noua adhibuit; in generum quoque conſtitutione frequenter ab aliis receſſit ſimpliciſſimam ſecutus rationem, neque ſexu vſus fuit, cum maſculos verorum graminum flores fere eliſis et abortientibus ſeminibus floſculorum interiorum tribuat. *Phalaridem*, *oryzoides* dictam, cum MIEGIO Act. Helu. To. IV. p. 317. pro ſingulari genere

p. 158.

p. 159.

p. 179.

p. 182.

p. 201.

re aſſumſit, et *homalocenchrum* quoque appellauit. Ex *andropogonis* illis ſpeciebus, quarum flores fertiles calicem nullum, ſteriles autem calicem bifolium habent, nouum genus conſtituit nomine *phoenix*, et
p. 203. ex *cenchro racemoſo* LINN. alterum *tragus* nomine; cuius characteres ſunt: locuſtae quadriflorae, cuique folliculo calix vniglumis, maximis et aſperis pilis ciliatus, mucronatus, in forte roſtrum productus, folliculus quisque biglumis, glumis inaequalibus, petala perexigua bina; vnus folliculorum plerumque imperfectus, imaginem tantum floris et gracile
p. 217. foliolum calicinum habet. *Seſleriam* SCOPOLI quoque retinuit, duasque ſpecies deſcripſit, a *cynoſuro* multum diuerſas, forte *poae* generi inſerendas. Calicem habent vniuerſalem bifolium aequalem mucronatum, glumam floralem exteriorem amplam compreſſam, mucronatam, tridentatam, quae in ſinu ſuo complectitur alteram glumam graciliorem obtuſius tridentatam. Dixit alteram ſpeciem, quae *cynoſurus coeruleus* LINN. eſt, *ſeſleriam locuſtis triſloris, imbricatis, flore tricorni*, alteram *ſeſleriam locuſtis quinqueſloris diſtichis flore bidentato. Poam* et *briza*m LINN. combinauit, priori ſeruato nomine; a *feſtuca* quoque aegre ſeparari poſſe monuit. Ariſtae enim in vtraque et reperiuntur et deſunt, glumarum obtuſa figura in *poa* non perpetua eſt, et margo membranaceus ſiccus in *feſtucis* vulgo reperitur; vix ſupereſt, niſi habitus minus teres, perpetuo diſtichus, obtuſior. A *briza* nullo vero ſigno diſtinguitur. Locuſtae in his cordiformes, ſed *briza eragroſtis* lanceolatas habet, neque haec a *poa eragroſtis* diuelli poteſt, neque ab aliis diſtichis ſpeciebus. Addidit quoque huic generi muticas *agroſtidis* ſpecies LINN. vt *ſtoloniferam* et *capillarem*, easque generali nomine *poas monanthas* appellauit, vt et *muticas feſtucas*, hinc *feſtuca fluitans* LINN. eſt *poa*

locuſtis

locuſtis teretibus multifloris, glumis floralibus exterioribus truncatis, interioribus bifidis. Ita porro cum *auena* LINN. et *airae* genus et *agroſtidis* ariſtatas ſpecies coniunxit. Neque enim hic characterem a numero folliculorum ſumere voluit et *auenae* tribuit calicem biglumem mucronatum, non ariſtatum, folliculum biglumem, cuius ex dorſo ariſta prodit, quae flexa in alium ductum finitur. Inter *auenas* p. 227. p. 231. *dianthas, anthoxanthum odoratum* quoque repoſuit, dixitque *auenam diantham, folliculo villoſo, calicis glumis inaequalibus, altera de imo dorſo, altera de ſummo ariſtata. Hierocloe* GMELINI ſiue *holcus* p. 233. *odoratus* LINN. *auenae* etiam facta eſt ſpecies. *Bromum* ariſta recta, quae ſub apice glumae floralis exterioris prodire ſolet, ab *auena* differre, aſſumſit quidem, aſt obſcurum diſcrimen eſſe cenſuit, cum aliqui *bromi*, quibus debiliores ariſtae ſunt, eas non obſcurius inflexas habeant, quam aliquae *auenae. Dactylis glomerata* LINN. fit *bromus locuſtis tetranthis faſciculatis imbricatis* et nouo hoc genere non egere monuit. Antiquum et characteriſticum, ab HEISTERO antea aſſumtum nomen, *digitaria*, plantis reddidit, quae adeo vehementer a Linnaeanis *panicis* abludunt, vt nullo modo eo referri poſſint; ſunt *panicum ſanguinale* et *dactylus*, habentque pro nota: receptaculum tritici, alternis ſcrobibus excauatum, ad quas applicantur floſculi petiolati, quorum calix biglumis lineatus; altera gluma parua mucronata, altera maiore lineata; ita mucronata, compreſſa, vniflora locuſta oritur, floſque durus, nitens, ſiccus, linea quaſi, non penetrante, diuiſus apparet, in cauea vndique clauſa ſemen haeret compreſſum. Diuiſionem in duas glumas nunquam ſatis potuit diſtinguere Ill. Auctor. De *panici* charactere haec tradidit: *primus calix fit duabus glumis ouatis inaequalibus, ſequitur folliculus ouatus, cui tertia gluma calici-* p. 238. p. 244. p. 249.

na congruit et ſe adaptat, eſt vbi quarta gluma accedit; glumae florales duae cartilagineae, exterior hinc conuexa, inde caua ſemioualis et altera ſimilis, hinc concaua, inde plana, intra has duas glumas ſtamina ſunt et ſemen. Cl. MIEGIO, qui habet tertiam glumam
p. 256. pro floſculo imperfecto, adſentire non potuit. Quatuor TOURNEFORTII genera nunc cum LINNAEO *polygoni* nomine comprehendit et dixit: *Cum* LINNAEUS *omnia tentaſſet, glandulisque videret ſe vti non poſſe, denique de ſeparandis his generibus deſperauit et glandulis vti deſiit. Neque aliud conſilium vidi, quod ſequerer.* Glandulas tamen aliquo modo adhuc aeſtimauit et ſpecierum duos ordines fecit, quorum poſterior glandulis ornatas continet, prior
p. 263. eisdem deſtitutas. *Aphanem* nunc *alchimillae* ſpeciem fecit, *camphoratam vaginis piloſis* edit. I. p. 183.
p. 281. cum LINNAEO *polycnemum* dixit et ex *marſilea quadrifoliata*, a *natante* diuerſa, cum Cl. JUSSIEU genus conſtituit nomine *lemna*, cuius character *ficoi* affinis eſt, calix ſcilicet clauſus, globoſus, hirſutus, continet flores vtriusque ſexus, feminei ſunt ſemina in loculis calicis, per ſepta diuiſis, nidulantia, ouata, ſtamina breuiſſimis filamentis ad baſin ſeminum po-
p. 298. nuntur. *Betulam* et *alnum* ſeparatim conſeruauit
p. 312. et vtriusque characteres copioſe expoſuit. *Abietem*, *pinum* et *laricem* vero *pini* nomine coniunxit. De
p. 319. *iunipero mare* notauit; nullo modo poſſe tres flores admitti, qui tribus antheris praediti ſint; ſed glumam quamlibet petiolatam, fungo ſimilem, triangulam, ad baſin adhaerentes habere antheras globoſas quatuor et quinque, raro tres paulo vero interius duas et tres alias abſconditas, vt numerus a tribus ad octo, raro ad nouem ludat.

T. III. *Muſcorum* recenſioni generalem hiſtoriam prae-
p. 18. miſit et varia, quae circa eorum ſtructuram partim Ipſe obſeruauit, partim de SAUSSURE ſua ſolertia deteXit,

detexit, accurate deſcripſit, quae omnia in opere ipſo debent legi; nos ad genera modo reſpiciamus. In his plerumque DILLENIUM ſecutus fuit, vbi vero proprias leges Idem Cl. Vir deſeruit, ab Eodem Noſter ſeceſſit. Aſſumſit itaque *lycopodium* LINN. eumque eo quatuor, antea diſtincta, genera coniunxit quidem, aſt flores femineos denuo pro gemmulis agnouit. *Sphagnum* et *phaſcum* LINN. priori conſeruato nomine, combinauit, huicque generi tribuit veras capſulas, ſpongia plenas, ſuperne operculo obtuſo tectas, quod diſcedit et capſulam ampliter apertam relinquit, ciliorum autem corona et calyptra caret, eaque nota ab *hypno* et *bryo* diſtat. In *hypno* capſula, calyptra, operculum et cilia adſunt et florigerae ſetae baſin vagina folioſa ſuſcipit, hinc multa *brya*, quae, licet habitum erectum parum ra-moſum oſtendunt, attamen ſetas, ex vaginis prodeuntes, habent, huc reduxit et generali titulo *hypna bryodea* dixit; nec in *fontinali* DILL. verum ab *hypno* diſcrimen reperire potuit, petiolumque brevem quidem, aſt aliquem adeſſe inuenit, hinc et hoc genus plane omiſit. In *bryo* LINNAEUM ſequi voluit et aliquas *mnii* et *polytrichi* ſpecies eo genere ſimul comprehendit. *Bryum* ergo erit, cui praeter antheras nil eſt flori ſimile, *mnium* autem, quod praeter antheras ſimul roſulas, ſcobe folioſa plenas, vel globulos nudos ſeſſiles, aut petiolatos obtinet; ab *hypno bryum* differt, quod ſetas absque vaginis producat; obliquitatem calyptrae excludit, nec villoſam calyptram attendit. Ad *mnium* itaque quasdam etiam *polytrichi* LINN. ſpecies reduxit, *blaſiam* vero nunc ſeparauit, quae ſeta, globulo terminata, nuda, cum *mnio* quidem conuenit, aſt variis modis, docente SCHMIDELIO, ab eodem differt. Hanc, vt et *iungermanniam*, *marchantiam*, *anthoceron* et *ricciam* in muſcorum claſſe conſeruauit, eamque *hy-*

p. 23. p. 26. p. 36. p. 40. p. 42. p. 50. p. 57.

drophace finiit. Nomen hoc, quod vacat, cum *hydrophace* BUXBAUMII *ſaluinia* dicta fuerit, impoſuit generi, *lemna* LINNAEO dicto, cum *lemna* Ill. Auctoris longe diſtet, de qua ſupra. Species noſtrates ſimpliciſſimae naturae eſſe, ex duplici cute conſtare et interpoſita celluloſitate vtriculoſa, absque
p. 70. vlla fabrica organica, vidit Ill. Auctor. Claſſ. XVII vnum *lichenis* genus continet, eſtque communis character, non vera habere folia, ſed cruſtas expanſas, magis ſimilares, varias equidem, plerumque ſiccas, coriaceas, aut fragiles, tamen etiam gelatinoſas; in nonnullis cruſta perobſcura vel nulla eſt, meraeque glebae, aut teretia fila, quas tamen a veris ſcutelliferis lichenibus ſeparare non poſſumus. *Lichenum* plura genera fecerat DILLENIUS, vnicum modo, ad naturae ductum propius, conſentiente HALLERO, LINNAEUS; corniculati enim, caui, polline pleni, indiuiſo nexu cum *coralloideis* cohaerent, cornubus bifidis et ſubdiuiſis, inde cum *pyxidatis*, quando mucro cornuum intumeſcit, inque cauum infundibulum mutatur et ſic *vſneam*, *pulmonarios* et alios, *tremellas* quasdam, vt et *noſtock* lichenibus adſociauit.
p. 105. In Claſſ. XVIII. cognita genera, *byſſum*, *conferuam*, *tremellam* et *vluam* retinuit. In vltima vero claſſe
p. 110. multum ab aliis receſſit. *Mucilago* continet plantulas fungoſae indolis, ſed pene filamentoſas, aut celluloſas, abſque capitulis, cruſta tectis. *Fuligo* autem plantas molles, butyro ſimillimas, quae celerrime in fuliginoſum atrum pollinem dilabuntur. Fuligini ſimiles, quae vero caput habent determinatae figurae, quae pediculi eſt erecti tenuiſſimi et cylindri craſſioris, cruſta autem deſtituuntur, *emboli* nomine exhibuit. *Botrytis*, quae *monilia* HILLII eſt, ſemina racemoſa vel ſpicata in petiolis ramoſis gerit; *lycogala* petiolum habet et ſphaericum caput, liquore aliquo plenum, in celluloſam naturam dif-

diffuſo. *Mucori* tribuit corticem et fabricam intus celluloſam, naturamque mollem; *aſpergilius* denique non habet corticem, ſed mera filamenta, ad lentem articulata. His omnibus vita breuis eſt et vnico *mucoris* genere a LINNAEO comprehenduntur. Quasdam *mucoris* ſpecies, *ſphaerocephalum* ſuum editione I. *Clathroidem* et *clathroidaſtrum* MICH. coniunxit et genus *trichiam* dixit, quod cum *arcyria* HILLII conuenit. Huius ſpecies cum *lycoperdo* quidem, cortice, polline ſeminali et celluloſa medulla, conuenire conceſſit, aſt differunt, cum ea celluloſa tela non membranis, ſed filis duriuſculis intertexatur et cum nunquam aut pulpae humidae ſimilis ſit, aut carnis ſciſſilis. In *lycoperdo* a LINNAEO non receſſit. Nouum porro genus eſt *ſphaeria*, eoque *lichen-agaricum* MICH. et *aecidium* atque *xilariam* HILLII exhibuit. Huius fructus, non flores, ſphaerici ſunt, puluere carbonario pleni, quem per orificium ſuum effundunt. Sphaerulae plerumque ſub cortice aliquo latent, ſolo oſtio conſpicuo. In *clauaria*, vt LINNAEUS fecit, *clauariam* et *coralloidem* MICH. et ita *meriſmam* HILL. quoque combinauit. Huius ſpecies naturam peculiarem habent ſebaceam, fungoſam, flexilem, ſolidam et ſimilarem, nulla intus diuerſi generis natura conſpicua, praeter fibras, quibus conſtant, nullo, praeter pollinem per epidermidem ſparſum, partium diſcrimine. *Puccinae* MICH. ſiue *iſariae* HILL. ſpecies nullas quidem Ipſe Ill. Auctor vidit, a STAEHELINO autem aliquas depictas et deſcriptas accepit. Referunt habitu ſimplici et ramoſo *clauarias*, ſed globulis, in ambitu caudatis, ſolisque filamentis, in tranſuerſum diſpoſitis, conſtant, quae videntur in centro colligi. *Pezizam* LINNAEI in duo diuidit genera, *cyathum* ſcilicet, a MICHELIO *cyathoidem* dictum et *pezizam*, quorſum *fungoides* MICH.

vel *encoelia* HILL. pertinet. Huius caro propria in plerisque fragilis, craſſa, in aliis membr anacea et gelatinoſa, plerumque villo ſubtili tecta, caueam aliquam continet, qua nota ab *agaricis* diſſidet; *cyathus* quoque cauum ſurſum lateſcens intercipit, aſt cauea haec plena eſt ſeminibus, ſiue potius iuni-oribus plantulis, viuipara generatione ex planta matre productis, lenticulatis, de pediculo ſuſpenſis, in quo cum *puccinia* affinitatem oſtendit. *Boletus* MICH. quasdam *phalli* ſpecies LINN. continens, petiolum rugoſum, vt nonnullae *pezizae*, habet, ſed differt capitulo, quod non cauum eſt, ſed conuexum, alias bracteatum, planum, multiforme, alias rugoſum, cancellatum, cylindricum, conicum, aut ouatum. *Phallum* MICH. retinuit, nulla addita definitione, cum plantam ipſam non vidiſſet. Nunc
p. 134. ad fungos veriores accedimus et hic iterum genera plura, quam LINNAEUS, pauciora, quam MICHELIUS, recipit. Seſſiles et petiolatos fungos ſeparauerat olim, nunc autem genera a diuerſa faciei inferioris fabrica ſolum definiuit et ſeſſiles cum petiolatis coniunctim ſeruauit. *Agaricum* itaque quorſum pertinent *eluela* et *tremellae* quaedam ſpecies LINN. vtrinque ſibi ſimile eſt, ſiue inferior ſuperficies laeuis et ſimplex, nullis poris, aculeis etc. varia; plana ſuperficie a *clauaria* et *peziza* et, quod nulla granula ſiue flores proferat, a *lichene* differt. In *boleto* LINNAEUM ſecutus, duo genera MICHELII et ita *poriam* et *ſoleniam* HILL. coniunxit, antiquum vero nomen, bonum et characteriſticum retinuit et hoc genus *polyporum*, prout et *hydnum* LINN. ſiue *erinaceum* MICH. *echinum* dixit et a poris atque aculeis duo haec genera definiuit. Fungos inferne lamellatos, *agarici* nomine a LINNAEO traditos, *amanitas* cum DILLENIO dixit, aliquos autem et eos, qui non veras laminas, ſed ſubtus ramo-

ramoſas plicas habent, ſeparauit et genus inde condidit *merulii* nomine. Copioſas *amanitas petiolatas*, namque a No. 2338. ad No. 2486. continuantur, neque a figura depreſſa et conuexa pilei, neque ab annulis, aut aliis notis, maxime variantibus, ſed potius a laminarum colore diſtinguere voluit et hinc ord. I. lamellis albis, II. ochroleucis, III. flauis et ſic porro, praeditas ſpecies recenſuit.

Verum, nimis diu circa genera occupati fuimus, attamen adhuc monemus, nomina generica, antea aſſumpta, quandoque nunc cum aliis Linnaeanis commutaſſe; vt ſunt: *lapſana*, *crepis*, *calendula*, *vtricularia*, *erinus*, *trapa*, *phyſalis*, *menyanthes*, *ſtaphylaea*, *rhododendron*, *ſtellera*, *actaea*, *geum*, *caltha*, *eriophoron*, *ſcleranthus*, *hippophae*. *Calamintham* ſuam commutauit cum *meliſſa* et *meliſſam* ſuam cum *meliſſophyllo*. *Foenugraecum* ſiue *trigonellam* nouo, aſt vetuſto nomine dixit *buceras*, ita et in *cruciatis* p. 192, *leucoii* nomen *cheirantho* praetulit et varias *heſperidis* et *arabis* ſpecies ad idem genus reduxit. Characterem enim *leucoii* in ſemine marginato, ſeptoque ſiliquae non fungoſo poſuit, caeterum flore cum heſperide conuenire monuit. Denique notemus, Ill. Auctorem plerumque antiqua et antea aſſumpta retinuiſſe nomina; inprimis diſplicuerunt Ipſi ea, quae ex graeca lingua compoſita fuerunt. Mentem ſuam, occaſione *ferri equini*, clare expoſuit, dicens: *Nomen latinum retinui, neque legem agnoſco vllam, quae obſcurius ex graecis fictum nomen pro characteriſtico ſubponat.*

Nunc de ſpeciebus dicamus, in quibus magis fere, quam generibus laborauit et, cum vicinae ſtirpes difficulter ſaepe ſeparari vel coniungi poſſint, anxie, vt Ipſe ſcribit praef. p. 23. per omnes partes floris plantaeque quaeſiuit, vt dilucidas diſcriminis notas detegeret; numeroſa adeo exempla eiusdem

ſtirpis, quoties licebat, conſuluit, vt et mutationes detegeret, quas aetas adfert, et, quae vni exemplo deeſſent, id alia ſupplerent. Colores non vndique reiecit, exiſtimauitque, ſatis facile eſſe paulo peritiori botanico diſtinguere, qui colores nominari mereantur, qui incerti ſint et variabiles. Notas plantarum in nomina, dilucide et latine colligit, barbara dubiique ſenſus vocabula euitauit; inde autem et factum, vt rariſſime nec Linnaeana, nec edit. I. ſtabilita, retinuerit, potius vbique fere noua conſtituerit. Triuialia nulla adhibuit, quae et olim ipſe LINNAEUS proſcripſit et, *neſcio*, dicit: *quid leviuſculi in plurimis videatur et difficillimum ſit, characteriſticum aliquid in vnam vocem ſtipare.* Synonyma, in priori opere plurima, inſigni labore, congeſſit et vel ideo enumeratione hac nullus carere poterit; nunc enim, ne in nimiam molem increſcat volumen, multa omiſit et aliquot modo nomina, bonarum iconum inprimis, adpoſuit. Plurimas autem plantas, tanquam veras ſpecies recenſuit, quas LINNAEUS omiſit, aut pro varietatibus habuit et ſcripſit: *non improbo viri Ill. conſilium, qui nullam plantam inter ſuas ſpecies retulerit, quam non Ipſe vidiſſet. Id volo, non debere quidquam veritati ſtirpium decedere, quas Ipſi videre non contigit, dum a gnaris hominibus lectae fuerint et ita deſcriptae, vt artis magiſtri adgnoſcant, ad naturam eſſe deſcriptas;* quare et iis ſpeciebus, quibus Linnaeanum opus deſtituitur, notam adiecit, vti aſteriſcum iis, quae poſt BAUHINORUM et SCHEUCHZERORUM labores ab Ill. Auctore lectae fuerunt. Speciebus omnibus brevem et concinnam, aſt ſufficientem et optimam deſcriptionem adpoſuit; DIOSCORIDIS et PLINII loca, in ſummam breuitatem contracta, inter notas recepit, ne veterum de plantis opiniones totae interirent; et virium denique medicarum compendium, multo

multo vberius, quam in priori edit. collegit et obſeruationibus non ſolum aliorum, ſed et propriis medicis, oeconomicis, botanicis et criticis operi huic praeſtantiam ſummam conciliauit. Haec omnia exemplis nunc comprobemus et primo de ſpeciebus et varietatibus, in quibus Ill. Auctor et ab aliis, et ſemet ipſo, ratione prioris operis, receſſit, quaedam excerpamus, omnia enim recenſere, longum nimis et taedioſum foret.

Prodeant itaque primo plantae, quas coniunxit et deinde, quas ſeparauit. In *hieracii* genere plures admiſit varietates et in *hieracio murorum* LINNAEUM quidem ſecutus fuit, attamen *hieracium* emend. II. 102. et emend. III. 252 et 254 ac *pulmonariam gall. tenuifol.* TABERNM. adeo inſignes eſſe aſſerit, vt pro ſpeciebus haberi queant. *Senecioni iacobaeae* addidit *erucaefoliam* LINN. et *iacobaeam latifoliam* I. BAUH. *ſenecioni doronico* autem ſpec. 14. no. 67. 15. 16 et 17. edit. I. p. 736. *ſolidagini virgaureae* vtramque ſpeciem ed. I. p. 729. *chryſanthemo leucanthemo* LINN. quae *matricariae* ſpecies eſt, *atratum* LINN. *bidenti cernuae, coreopſidem bidentem* LINN. ſerio, cum nulla, praeter ſemifloſculos nota, diſtingui poſſit, ſimulque *bidentem minimam* dubie adiecit, quia in vulgari flores non raro ante plenam maturitatem erigantur. Tres, antea receptas, *lappas* coniunxit; *cirſium* 9 et 10 edit. I. p. 682. in No. 175. et *cirſium* 13 et 14 in 15. ſiue nunc in No. 180 vnit. *Valerianam* 6. et 7. ed. I. p. 665. *valeriana rubra* comprehendit. *Thymi ſerpilli* infinitae ſunt varietates, hinc et No. 1 et 3. edit. I. in No. 235. combinauit. *Bugulam geneuenſem* a *reptante* non differre credit; *anonidem mitem* a *ſpinoſa* edit. I. No. 3. diſtinctam, omiſit, etſi C. BAUHINI plantam differre adhuc exiſtimat, quam vero inter ſuas nondum inuenit. *Melilotum* 2. edit. I. ſiue *fruticoſam* no. 62.

n. 362. *candidam maiorem* MORIS. nunc ad 1. ſiue *vulgo-*
n. 364. *rem* retulit. *Trifolio procumbenti* addidit *filiforme*; ex *loto* 2 et 3. ed. I. p. 572. vnum fecit, ſcil. *lotum flor. vmbellatis, filiquis cylindricis rectiſſimis. Dentariam penta-* et *heptaphyllam* No. 1 et 2. edit. I. nunc in *pentaphylla* LINN. vnit quidem, aſt dixit: *duas ſpecies non immerito feceris, cum nimis certa foliorum di-*
n. 476. *verſitas ſit. Cardaminem bellidifoliam* et *reſedifoliam* LINN. etiam in edit. I. diſtinctas, coniunxit nomine: *cardamine foliis radicalibus petiolatis, ouatis, caulinis ouatis, aut pinnatis obtuſis.* Seneſcens enim planta folia habet radicalia trilobata, vel duabus aut quatuor pinnis aucta. *Alyſſon* 1 et 2 edit. I. coniunxit, ſiue *myagrum foetidum* LINN. *ſatiuo* addidit; dixit vero hanc memorabilem varietatem, glabram totam, foliis imis laciniatis, etiam ſuperioribus acute dentatis, omnibus longioribus. *Veronicam proſtatam*, ſiue *anguſtifoliam minorem* RIV. antea pro varietate *veronicae teucrii* habitam, nunc pro ſpecie quidem agnouit, aſt adhuc dubitauit, num vere diuerſa ſit; ita et *veronicarum, fruticuloſae* et *alpinae*, no. 12 et 13. edit. I. diſtinctarum diſcrimina quidem notauit, non autem ſeparitas conſeruauit. In *viola calcarata* no. 8 et 9. edit. I. ſiue *violas montanas purpureas luteasque* coniunxit, *tricolorem* LINN. autem denuo in duas ſeparauit et a floris magnitudine inprimis differentiam ſumſit. *Anchuſam officinalem* et *anguſtifoliam* LINN. vix differre aſſerit et iconem Blackwellianam rhaetica exempla bene exprimere monuit. *Cyclamina* antea diſtincta, ſpecie vna comprehendit, dicta: *cyclaminus flore cernuo, ſegmentis ſurſum reflexis. Dianthus*
n. 635. n. 901. *proliferum* et *diminutum* in *tunica, capitulo compacto ouali, calice vniuerſali quadrifolio* coniunxit, *diminutus* enim habet calicem vniuerſalem quadrifidum et duo paria ſquamarum acceſſoriarum; vidit et Ill. Auctor ſpecimina, in quibus eadem radix et aliquos flo-

flores aggregatos generat et nonnullis in ramulis ſimplices. *Tiliam foliis mollibus ſubhirſutis*, quae forte ſatiua eſt, cum ſylueſtri foliis firmioribus glabris, in edit. I. diſtinctam, nunc vnit. *Fragariae veſcae* plurimas enarrauit varietates, et eam *petalis viridibus ſerratis foliоſis* a ZANON. T. 78. depictam, et a LINNAEO *muricatae* nomine diſtinctam, pro eiusmodi etiam aſſumſit. *Thalictrum* 1 et 2. edit. I. n. 1137. in *thalictro anguſtifolio* ac no. 5. et 6. edit. I. in *foetido* LINN. combinauit; ſimulque dubitauit, an *alpinum* et *minus* LINN. a *foetido* vere diuerſum exiſtat. *Ranunculi aquatici* quatuor edit. I. conſtituerat ſpecies, nunc tres modo retinuit et no. 18. edit. I. *Foeniculum aquaticum cornutum C. B.* cum no. 17. ſiue *aquatico capillaceo C. B.* coniunxit, nomine: *ranunculus caule fluitante, petiolis vniflоris, foliis capillaribus, laciniis diuergentibus. Stipam iunceam* LINN. a *capillata* non diſcrepare exiſtimauit et plantam iunceo folio, flexuoſis quoque ariſtis ornatam, ſe legiſſe retulit. *Milium confertum* ab *effuſo* non diſtinxit. Ex *ſalice vitellina* et *alba* vnam fecit et ſcripſit: *hic inprimis experiri, quam difficilis ſit ſalicum hiſtoria* etc. dein pergit: *quare plurima omnis aetatis exempla ad meas deſcriptiones adhibui et paucas*, (tamen 21.) *propono ſpecies, qui malim pauper videri, vt nihil ſcribam, niſi certum. De ſynonymis, etiam Linnaeanis, omnino deſpero. Equiſetum paluſtre et limoſum* LINN. eadem eſt planta, modo terreſtris, modo in aquis naſcens; caulem anguſtiorem vel latiorem producit; auxit vero ſpecies *equiſeto caule ſulcato, vaginis ariſtatis*, quod *variegatum Baſileenſe* dixerat C. BAUHINUS. *Lycopodium dentículatum* et *helueticum* LINN. coniunxit et ſic in multis muſcorum, lichenum, fungorumque ſpeciebus diſſenſum animaduertimus, quem vero omnem recenſere nec licet, nec lubet.

n. 1140. n. 1162. n. 1513. n. 1635. n. 1678. n. 1718.

Cum

Cum vero Ill. Auctor plurimis nouis acceſſionibus ſpecierum numerum auxerit, etiam harum quae-
no. 21 dam exempla repetamus. *Sonchum leuem* ab *aſpero*
22. et *anthemidem aruenſem* a *cotula* LINN. antea con-
103. iunctam, ſeparabat; et ab *achillaea atrata* nunc re-
104. mouit *tanacetum alpinum odoratum C. B.* nomine;
112. *achillaea foliis pinnatis, pinnis ſimplicibus glabris pun-*
213. *ctatis; mentham exiguam* et *aruenſem* LINN. nunc
224. non amplius coniunxit; *ladanum ſegetum* et *latifo-*
260. *lium* RIV. antea in *galeopſide ladano* LINN. combi-
267. natum, etiam diſtinctim recenſuit; foliorum enim latitudine et mollitie, florumque colore differunt;
n. 268. ſic et *cannabis ſpuria* et *flore maiore* RIV. in *galeopſi-*
269. *de tetrahit* LINN. vnitae, pro diſtinctis ſpeciebus iterum propoſitae ſunt; poſterior enim differt habita duriore, caule hirto, calice magis campaniformi et breuiore, flore vnciali luteo, medio barbae ſegmento purpureo. *Lamium album* et *laeuigatum* LINN. recepit, antea coniuncta; *brunellam flore maiore* RIV. multa cum *vulgari* communia habere concedit, aſt differt foliis minus dentatis, flore vnciali in planta non maiori, ſpica quacunque folio maiori et calix, qui in vulgari ſolas tres ſpinulas ſuperne habet, in maiori in vera ſegmenta diuiditur. Cultura etiam minorem non mutauit. *Brunellam* vero *grandiſloram flore albo*, antea no. 4. edit. I. diſtinctam,
n. 348. nunc *laciniatae* varietatem fecit. *Fumarias bulboſas*
349. denuo ſeparauit, differuntque inprimis caule bi- et multifolio, bracteisque integris et digitatis; alteram alterius adultiorem plantam eſſe negauit ideo, cum vtraque nunquam in vno, ſed ſemper diuerſis lecta fuerit locis. Ex duabus *ſcorpiuri* ſpeciebus, ed. I. p. 530. traditis, nunc tres conſtituit, praeter
n. 592. *annuum* enim et *perennem*, quos in *myoſotide ſcorpioide* LINNAEUS coniunxit, etiam *ſcorpiurum foliis ouatis, ſpica pauciflora, calicibus tomentoſis* diſtinxit.

Ex

Ex *primula veris* LINN. tres denuo fecit ſpecies et *ſaniculam alpinam rubram* TABERNM. a *primula auricula* LINN. nunc demum ſeparauit, dixitque *primulam* n. 613.
foliis ciliatis dentatis, ſcapo paucifloro. Gentianam foliis amplexicaulibus, floris fauce barbata edit. I. no. n. 650.
2. in duas diuidit; an vero *campeſtris* et *amarella* 651.
LINN. cum Suis eaedem ſint, dubitauit; vtrumque RENEALMII nomen, *opſantha* et *eyrythalia* vni ſpeciei adpoſuit. *Campanulam rotundifoliam* LINN. n. 700.
in tres ſpecies ſeparauit et *alpinam* ſerras foliorum, 701.
etiam quando in planitiem deſcendit, retinere, aſſe- 702.
rit; *campanulam hybridam* ed. I. no. 17. pro varieta- 704.
te habitam, nunc ſeparatim recepit. *Tragoſelini* 785.
tres ſpecies denuo retinuit, cultasque diſcrimina ſua 786.
retinere monuit. *Ceraſtium aquaticum* et *ſtellariam* 787.
nemorum in edit. I. coniunxerat nomine: *alſine foliis cordatis petalis bipartitis*, priorem autem tubis qui-
nis, ab altera, tubis tribus, differre, huicque capſu-
lam *myoſotidis* eſſe, cognouit, hinc ſeparauit et *ce-*
raſtium pro *alſines*, *ſtellariam* pro *myoſotidis* ſpecie ex- n. 885.
hibuit, ſimulque in hac *ſtellariam nemorum* et *dicho-* 886.
tomam LINN. coniunxit; haec enim adultior plan-
ta, magis calua, ſolis ſuperioribus foliis reſiduis,
dum nemorum dicta iunior ſit, foliis concinne cor-
datis, ciliatis et caule cubitali. *Geranium ſyluaticum*
et *paluſtre* edit. I. no. 9. coniuncta, nunc ſeparauit, n. 932.
ita et *ſemperuiuum tectorum* et *globiferum* LINN. in 933.
ſedo no. 1. edit. I. combinatas, diſtinctim propoſuit; 949.
e contrario autem *ſedum* no. 14 et 15 edit. I. in *ſedo* 950.
refixo vniit. *Croci verni* plures varietates dari, 967.
facile, *autumnalem* autem ad easdem pertinere, neu-
tiquam conceſſit; differt enim tuba profunde trifi-
da, in tria longa ſegmenta diuiſa, quorum finis ae-
que trifidus eſt, vti tota tuba ſpontanei *verni;* dein
haec tubae cornua odorata ſunt et aromatica, non n. 1257.
ita ſpontanei; hinc *vernum* exhibuit nomine: *cro-*

cus

n.1265. *tus tuba breuiſſima trifida.* *Ophrydem inſectiferam*
1266. LINN. in duas ſpecies, *myodem* et *arachnitem* ſepa-
rauit et ſcripſit: *fuciflοram et muſciflοram orchidem*
ex intimo floris charactere ſeparaui, muſciflοram petala
interiora filiformia, fuciflοram lanceolata, huic roſtrum
in ſumma columna ſtaminea, muſciflοrae nullum noſtrae,
appendix in imo petalo, cuius loco muſciflοra biſulcum
habet ſinum; noſtrae tumores globoſi ſub ſtaminum co-
lumna et linea venoſa marmorea, quae omnia a muſci-
n.1275. *flora abſunt.* *Orchidem militarem* LINN. in tres ſpe-
1277. cies diuidit, etenim n. 1275 ſiue *orchis militaris mi-*
nor C. B. habet ſtaturam humilem, bracteas maio-
res, ſpicam breuiſſimam, labellum breue totum pun-
ctatum, brachia et cruſcula breuia, petala interiora
duo circa columnam ſtamineam conflexa. In no.
1276. ſiue *militari morio maiori* VAILL. ſtatura al-
tiſſima, bracteae minores, flores triplo maiores, flo-
ris galea extus atropurpurea, brachiola anguſtiora
quam 1275. neque ſerrata, cruſcula et pectus latio-
ra, petala interiora recta; et no. 1277. ſiue *orchis*
maſcula RIV. ab antecedente differt: galeae petalis
exterioribus longioribus, longius antrorſum mucro-
natis, extus albis, internis lineatis non punctatis,
corpuſculo longiori et cruſculis et iisdem graciliori-
bus, ſtatura humiliori; hinc vltimae addidit *orchi-*
dem ſimiam referentem edit. I. no. 2. ſeorſim traditam.
Orchidem ſambucinam LINN. ab *incarnata* non dif-
ferre credidit. In *epipactidis* ſiue *ſerapiadis* ſpecie-
bus vbique fere a LINNAEO receſſit et omnes de
nouo conſtituit, quarum recenſionem omittimus.
Iuncos plures ſeparatim enarrauit, a LINNAEO
n.1324. pro varietatibus habitos; ex *iunco piloſo* e. gr. qua-
1325. tuor fecit ſpecies, ex *campeſtri* duas, et ſic ſaepius:
1326. *herniariam glabram* et *hirſutam* porro diſtinxit; in
1327. *hirſuta* glomeruli ſunt pauciflori, qui in *glabra* plu-
1329. rimos flores continent et flos multo maior pro fo-
lii

lii portione, bracteae albiſſimae. *Alnum incanam* an. 1330.
glutinoſa, quas coniunxit LINNAEUS, ſeparauit, 1631.
et de *incana* dixit: *vera mihi planta videtur, etſi omnino non differt, memorabilis certe varietas.*

Non autem dubiis modo plantis, accurate determinatis, vel illis, quas pro varietatibus aſſumſerant recentiores, proprio charactere diſtinctis, locupletauit ſpecierum numerum, ſed et plurimas, a recentioribus neglectas et in Ill. LINNAEI ſpeciebus nondum memoratas, e tenebris quaſi produxit, aliasque plane nouas, a nullo botanicorum excitatas, Heluetiae proprias nominauit et deſcripſit, iisdemque magnam huic hiſtoriae praerogatiuam conciliavit. Neque poſſumus illas, quae in priori editione deſiderantur et nunc acceſſerunt, ſunt enim trecentae et quinquaginta circiter, neque eas, quae in LINNAEI ſpeciebus deficiunt, enarrare, ſunt enim et harum nimis multae; ſeligamus quasdam. *Crepis calicibus muricatis* noua ciuis, vt et *hieracium* no. 32.
foliis ouato lanceolatis dentatis petiolatis, petiolis dentatis; nec non *ſolidago foliis tomentoſis ouatis ſemipinnatis;* porro *achillea foliis hirſutis pinnatis, pinnis acute dentatis lateſcentibus;* habitu haec *chryſanthemo corymbifero* ſimillima planta, ſed charactere diuerſa. *Conyzam capite nutante* I. BAUH. nuperi omnes ignorare videntur, dixit *buphthalmum foliis coniuga* n. 119.
tis, flore nudo nutante. Filago alpina minor erecta 150.
SCHEUCHZ. eſt *filago caule ſimplici umbella pauciflora, calicis baſi tomentoſa;* poſſet forte pro *gnaphalio alpino* LINN. haberi, cum et SCHEUCHZERUS ab Eodem citetur; aſt neque flores habet dioicos, neque ſarmenta procumbentia. *Locuſta ma-* n. 215.
ior RIV. eſt *valerianella foliis oblongis ſerratis, ſeminis corona tridentata. Mentha cataria minor alpina C. B.* non eſt *nepeta italica* LINN. cum folia ferat peracuta; dicitur *cataria tomentoſa foliis ellipticis* n. 247.

acute

n. 228. *acute ſerratis, verticillis ſparſis. Mentha foliis elliptico-lanceolatis, ſubtus tomentoſis, ſpicis cylindricis, ſtaminibus floris tubo aequalibus* poſſet forſan *mentha ſylueſtris* LINN. varietas eſſe, *nobilis* tamen quam
n. 355. praeterire noluit. Nouum eſt *ſpartium caule decumbente ramoſo, foliis ſolitariis ouatis, floribus longe petio-*
n. 407. *latis. Aſtragalus ſcapis aphyllis, foliis ouato lanceolatis glabris, filiquis inflatis hirſutis erectis* proximus *aſtragalo campeſtri* LINN. differt ſtipulis coloratis multo longioribus, foliis glabris, flore albo longiori, carina non violacea. *Braſſica alpina perennis*
n. 454. RUPP. eſt *turritis foliis glaberrimis curuis rotundis petiolatis, ſuperioribus amplexicaulibus ſagittatis obtuſis*, rariſſima dicitur et a nuperis ignorata. Planta
n. 491. rara eſt *alyſſoides fruticoſa leucoii folio viridi* TOURN. nominata *alyſſum foliis radicalibus petiolatis hirſutis, caulinis lanceolatis laeuiſſimis*, habet calicem tubuloſum, duobus foliolis in obtuſum calcar productis; addit: *ſtamina omnia glandula ſunt cincta, vt ſenae ſint, quatuor maiores, duo minores, fructus inflatus veſicae inſtar fere quadrangularis, ſtylo praelongo coronatus in fine craſſiori, ſeptum pellucidum valuis parallelum, ſemina in vtroque loculo fere ſena de ſuperiori parte pendula;* monuit porro Ill. Auctor, *ob characterem mixtum, fructus alyſſi, floris leucoii ſimilem et calcaria calicis, nouum genus conſtitui, quod Ill.* OEDERI *nomini dicaui, ne tamen nimium mihi ſumam, ſufficiat indicauiſſe.* Sit itaque *Oedera;* quicunque enim nouum genus conſtituit, eidem nomen imponere tenetur. Aph. 218. crit. bot. etſi genuini tantum botanici ſecundum aph. 211. nomina imponere debent, quis eam poteſtatem derogabit Nobili
n. 611. HALLERO! Noua eſt *primula foliis glabris ellipticis rugoſis ſerratis, floribus vmbellatis tubo longiſſimo, pari-*
n. 652. ter *gentiana floribus ſolitariis longiſſime petiolatis, ſan-*
n. 742. *cibus fimbriatis. Caucalis procumbens* et *humilis* RIV.

nunc

nunc *caucalis foliis duplicato pinnatis, pinnulis longe confluentibus*, quae antea erat varietas *tordylii anthriſci* LINN. Noua iterum ciuis *laſerpitium foliis tri-* n. 796.
plicato pinnatis, pinnulis lanceolatis, inuolucris ſemitri-fidis. Noua etiam *alſine caule flaccido dichotomo, fo-* n. 864.
liis linearibus acutis. Alſine etiam *hyperici folii* VAILL. determinatur per *alſinem foliis lanceolatis, petalis bi-* n. 881.
partitis, petiolis vniſloris. Noua porro *myoſotis foliis glabris lanceolatis, petiolis infractis;* etiam *geranium foliis ſemiſeptilobis, rugoſis, dentatis, petalis planiſſimis, circumſerratis, indiuiſis. Sedum ſaxatile atro rubente flore* C. B. non eſt *ſedum rubens* LINN. neque enim caulem hirſutum habet, neque carinam calloſam, praeterea ſtamina decem. Nomen accepit *ſedum* n. 963.
caule folioſo erecto vmbellato humillimo, foliis teretibus, et *ſedum aruenſe flore rubente* C. B. quod LINNAEUS quoque ad *rubens* retulit, dicitur *ſedum cau-* n. 960.
le hirſuto, ramis ſimplicibus, floribus in alis ſeſſilibus; habet hoc decem quoque ſtamina, ſed quinque mature exareſcunt. Noua eſt *ſaxifraga foliis imbrica-* n. 981.
tis ouatis, caulibus reptantibus biſloris. Ruta ſylueſtris CAMER. a *graueolente* diuerſiſſima foliis multo tenuius diuiſis, laciniis vltimis linearibus acutiſſimis. 1004.
Noua *anemone tubis caudatis, inuolucris multifidis, fo-* n. 1148.
liis hirſutis pinnatis, pinnis acute lobatis; ſimilis *pulſatillae vernali* LINN. vtriusque diſcrimen copioſe notatum inuenies. *Iuncum foliis fiſtuloſis articulatis, panicula ſimplici, glumis ariſtatis*, olim pro varietate habuit, nunc verae differentiae notas reperit. Nouae plures ſunt *caricis* ſpecies, vt 1352. 53. 1385. et aliae. *Triticum leuiſſimum glaucum, locuſtis quadrifloris, duobus floribus ariſtatis, duobus mucronatis*, frumenti genus maximum eſt, quod in Thuringia et Heluetia colitur. *Arundo locuſtis vniſloris, ariſta* n. 1523.
ex imo dorſo florem ſuperante, hactenus forte cum *ramoſa arundine* fuit confuſa, quae vero mutica eſt.

n.1555. *Perſicaria anguſtifolia* c. B. dicitur *polygonum foliis*
1556. *ouato lanceolatis, ſpicis ſtrigoſis, vaginis ciliatis*; et *perſicaria folio ſubtus incano* RAI. *polygonum foliis ouato lanceolatis ſubtus tomentoſis, ſpicis ouatis, vaginis ciliatis.* Prior habitu *acrem* refert, ſed nulla inest acrimonia et vaginae ciliatae, vt in *miti*; poſterior ſi varietas eſt, erit inter magis inſignes. Sed haec ſufficiant. Notamus denique in ſpeciebus ordinandis frequenter a ſe Ipſo et ab aliis Auctoribus, LINNAEO praecipue, receſſiſſe, easdemque ad alia genera amandaſſe, ita

Leontodon *hirtum* L. fit ſpecies rhagadioli no. 7.
– *hiſpidum* et *autumnale* – picris 15. 28.
Andryala *lanata* – hieracii 37.
Senecio *abrotanoides* – ſolidaginis 71.
Inula *montana* – aſteris 81.
Cnicus *oleraceus* et *eriſithales* – cirſii 173. 75.
Scabioſa *alpina* – dipſaci 200.
Thymus *acinos* et *alpinus* – clinopodii 237. 38
Stachys *ſylvatica* *) – cardiacae 276.
Thlaſpi *montanum* et *alpeſtre* – lepidii 518. 19.
Lithoſpermum *aruenſe* – heliotropii 594.
Onoſma *echioides* – ſymphyti 601.
Primula *farinoſa* – aretiae 623.
Phellandrium *mutellina* – ſeſeleos 763.
Athamanta *ceruaria* – ſelini 804.
Gypſophila *ſaxifraga* – tunicae 902.
Meſpilus *amelanchier* – pyri 1095.
Anthericum *liliaſtrum* – hemerocallis 1230
Cynoſurus *durus* – lolii 1419.
Elymus *caninus* – tritici 1429.
Bromus *pinnatus* **) – tritici 1431.
Melica *ciliata* – arundinis 1517.

Et

*) Florem habet ſtachydis, ob notam tamen characteriſticam galeae integrae vix poteſt cum ea manere, neque voluit ob minus acutas floris partes nouum genus condere.

**) Verum triticum vel ex notis LINNAEI eſſe, monui

Et aliae plures graminum ac imperfectarum plantarum ſpecies, vti ex mutatis quoque, ac ſupra notatis generibus facile eluceſcit.

Magna porro operi huic praeſtantia accedit ex obſeruationibus vndique inſperſis, quae partim genera, partim ſpecies concernunt; ex harum inſigni numero quasdam repetamus. *Aſter* ſiue *inula helenium*, ſpontanea planta minimum florem et radicem gracilem habet. no. 72. *Achillaea millefolium*, quando calor aeſtiuus aduſſit, diuerſa videtur a ſe ipſa foliorum laciniis magis capillaribus, totaque planta, et foliis inprimis valde lanuginoſis; verum per omnes medios gradus a vulgari in iſtam tomentoſam varietatem degeneraſſe vidit. n. 107. *Gnaphalium margaritaceum*, in America natum, et a BORNEMANNO miſſum, ab Heluetica planta differt; rubiginoſis caulis pilis et ſquamis calicis minus obtuſis. n. 146. In *valeriana dioica* flores mares cum ſexu femineo imperfectiori et femineos cum rudimentis ſtaminum, praecipue in mare dicto, ſemen abortiuum cum tuba, ſtaminibus breuiore, adeſſe, monuit; et in *celticae* aliis exemplis ſtamina nulla, in aliis, etſi omnia ſua ſemina habent, tria filamenta de flore eminentia grandes bifidas antheras ferunt, ſiue dioica planta eſt; fere vt prior, ſiue tubae ſerius ſubnaſcuntur et tum demum, quando ſtamina diſparuerunt. n. 208. 209. *Antirrhinum elatine* non eſt hybrida planta, quam duae ſpecies elatines produxerint, vt exiſtimauit LINNAEUS; non enim eosdem locos natales habent, aruenſes ſunt *elatinae* in tota Heluetia frequentes, vbi nuſquam *cymbalaria* reperitur, quae muraria planta eſt. n. 339. *Lunaria rediuiua* ab *annua* facile diſtinguitur etiam calice, qui huic ſubhirſutus ex viridi purpureus, et flore, qui inodorus eſt et purpureus; folia in *hortenſi* oppoſita eſſe, aſſerit LINNAEUS, ſed ea in vtraque ſimilia, ſcilicet inferiora coniugata, ſuperiora alterna vidit n. 500.

Ill. Auctor, dixitque priorem *lunariam perennem, fil. quis ouato lanceolatis*, huiusque petala pallide viola-
n. 600. cea et odorata esse, monuit. *Symphyti officinalis* va-
rietatem inuenit flore, extus quinque petalis acceſſo-
n. 859. riis ornato. Quinque in *cherleria*, a SEGUIERIO
descripta, vera petala nunquam inuenire potuit, Eam-
que stamina omnia ex ambitu fructus filamentis ca-
pillaribus, non ex vnguibus nata, depinxisse mo-
n. 892. nuit. In *ceraſtio ſtricto* LINN. duplex monſtrum
vidit, aliud, quod petala, quae calicem solent du-
plo superare, nihilo maiora, alterum, quod folia la-
n. 1012. tiora et flores congestos abortiuos habebat. *Erinus*
vulgaris singularem varietatem obseruauit, quae
multum Ill. Auctorem torsit: in ea omnia folia cal-
car habent et ima latiora, laxiora, a ramis diſtan-
tia, et vere gnomoni similia sunt, quorum pars, ad
sex lineas longa, contra caulem descendit, longior et
triquetra ascendit. Est *erica tertia* CORTUSI, quam
ex alpibus Helueticis attulit C. BAUH. apud I. BAUH.
n. 1044. I. 352. *Tithymalum* inter plantas nectariferas re-
tulit et de *euphorbia lathyris* scripsit: *ſi accuratius*
quiſiueris, reperies, petala hac in ſpecie vera eſſe ne-
ctaria caua, ſuccum continentia, quae vtrinque cornicu-
n. 1196. *lum exſerunt.* In *aquilegia alpina* nectariorum finem
curuum quoque et inde discriminis notam non de-
n. 1255. sumendam esse, monuit. *Colchicum vernum* c. n.
ab *autumnali* non differt, licet florem paulo ante fo-
lia proferat, quae vna cum flore supersunt, idemque
petala habet anguſtiora. Folia vero neque linearia
esse, neque patula asserit, etsi perinde, vt petala,
aliquanto quam alteri, sunt anguſtiora. *Colchicum*
n. 1434. *montanum* LINN. separatim recensuit. *Feſtuca de-*
cumbens in glumae minoris exteriori cauea corpu-
sculum petiolatum, hirsutum, capitatum ostendit,
quod in supremo flore euidenter agnoscitur, esse flo-
sculum immaturum, quare ad *melicam* LINN. quidem
per-

pertineret; ſed melicae character malus eſt, qui ab eiusmodi corpuſculo ſumitur.

Vires denique plantarum, et ab aliis traditas, citatis vbique Auctoribus, et Noſtri experientia obſeruatas, longe copioſius, quam in prima editione factum fuit, vbique expoſuit, eodemque labore gratiſſima medicis otia fecit; quicquid enim veteres et recentiſſimi de *polygala*, *belladonna*, *hyoſcyamo*, *ſtramonio*, *aethuſa*, *conio*, *vua vrſi*, *opio*, *aconito*, *colchico*, *larice*, *pino* et ſic de aliis annotarunt, ea omnia concinna breuitate repetiit et in rebus dubiis ſuam ſaepe ſententiam addidit. Ex illis, quae propriae ſunt Ill. Auctoris obſeruationes, quasdam ſeligamus, licet ſelectus in tanta rerum copia difficilis fieri poſſit. Occaſione *doronici pardalianches* litem GESNERI cum MATTHIOLO aliisque recenſuit et cum ſalubris planta exiſtat, fabulam eſſe a COSTAEO prognatam, inde ad C. HOFFMANNUM, BOERHAAVIUM et PONTEDERAM propagatam, ex eius radicis vſu magnum GESNERUM interiiſſe, quem certiſſime peſtis peremit; monuit quoque, SCHULZIUM maiori errore fabellam ad anthoram tranſtuliſſe. *Abſinthium vulgare* princeps medicamentum ſtomachicum, quod tonum ventriculi reparat, in cruditate acida magnum auxilium, longo vſu podagram auertit, meo, vt ſcribit, experimento, quare in ictero extractum, et in hydropis initiis vinum abſinthii ſummo cum fructu adhibuit. *Carduorum* ſicci flores optimum, quo lac coagulatur, fermentum praebent. *Cyani ſegetum* ſemen amarum, ad dimidiam drachmam exhibitum, aluum ducit. De *valerianae officinalis* LINN. antepileptica virtute teſtimonia colligens, tandem ſcribit: *ego certe ad hyſtericos morbos nimiamque neruorum ſenſibilitatem frequenter cum bono effectu hac radice vſus ſum et in ipſa epilepſia non malo ſucceſſu. In*

n. 88.

n. 124.

n. 167.

n. 191.

n. 210.

nobili iuuene per ſeſquiannum paroxyſmos diſtuli, qui tamen, cum in Italiam rediiſſet, dicuntur rediiſſe et ipſi. Virginem vero patriciam, vere epilepticam, cuius paroxyſmum Ipſe videram, fideliter et absque recidiua

n. 221. *extracto ſucco ſanaui. Mentha pulegium* menthas ſuperat odore et vi, emmenagogum fidele praeſtat, non aqua quidem, etſi ea odorem accipit et oleum penetrantiſſimum admixtum habet, ſed infuſum vinoſum cum vino albo et chalybe, quod Ipſum nun-

n. 258. quam fefellit. Poſtquam de *marrubii vulgaris* viribus aliorum et de laudabili effectu in abſceſſu pulmonis Cl. DE HAEN teſtimonia adiecit, addit: *ego quidem in morbis ſimilibus cum difficili ſputorum exſcreatione infuſum aquoſum vtiliter dedi et in phthiſi ſatis profecta ſemel vidi vtile eſſe, non autem in aliis exemplis, potius vero mihi mouere videtur, quam*

n. 264. *reprimere. Betonica vulgaris*, in lacte cocta, ſalutaris eſt aduerſus vaccarum morbum ex victu paluſtri et *iunci* noxio genere natum, qui inteſtina inflammat; non quidem Ill. Auctoris, ſed DEJEAN diſtill. p. 165. obſeruatione, quam vero notaſſe iuuabit.

n. 362. *Melilotus officinalis* acris potius videtur planta, quam emolliens, vt irritet et diſcutiat potius, quam ſuppurationem promoueat. Cum caſu in ſemen lini

n. 580. ſeſe immiſcuiſſet, in angina nocuiſſe vidit. Occaſione *hyoſcyami* meminit, ſodalem ſuum Leidenſem, SIMONIUM, aconita, apocyna et belladonnae baccas impune deuoraſſe, ab hyoſcyami vero ſemine victum et mente alienatum, alteroque latere reſolutum, a BOERHAAVIO tamen ſeruatum fuiſſe.

n. 1421. Farina *ſecalis* plurimum continet acoris, vt Ill. Auctor in longa Goettingenſi vita nunquam eum panem ferre potuerit, quin ſodam ſentiret. Secali cornuto peſtilens ineſt vis, quando vberius in pa-

n. 1662. nem recipitur. Puellam, poſt plurimum *ſabinae* vſum, fetum legitimo tempore peperiſſe, aſt pecto-

ri

ri nocuiſſe, vidit. *Marchantia conica* acris eſt, pe- n. 1889.
culiari odore et ſapore praedita, penetrabiles pro-
mittente vires, reſoluentes, antiſcorbuticas. De
fungorum indole nociua generalem tractationem no.
2338 exhibuit. Praeter botanicas et medicas ob-
ſeruationes etiam oeconomicas vbique interſperſas
deprehendimus. Omnium *globulariarum* folia ex- n. 218.
ſiccata nigreſcere, ob *lycopi* vſum Gallos in nigris 220.
pannis tingendis excellere, *cytiſi laburni* materiem, 360.
non nigram quidem ebeno proximam, ſed flaueſcen-
tem cum venis obſcurioribus duram et inuicti robo-
ris ad clauos ligneos, inſtrumenta muſica, ad arcus
vtilem eſſe, monuit. *Medicaginis falcatae* caules n. 381.
nimis duri videntur, neque ſatis erecti, hinc eius
cultarum ſuadere noluit, quam LINNAEUS com-
mendauerat. *Coronillam variam* autem, a MILLE- n. 387.
RO ob egregium pabulum cultam, pecora auide de-
cerpunt, aſt quia ſemina non facile matureſcunt, cul-
turam morari exiſtimauit. *Onobrychis* etſi aliquanto n. 396.
parcius, quam *medica violacea*, pabulum praebet
et ſicca folia amittit, durisque caulibus pecori diſpli-
cet, eſt tamen ex omnium vtiliſſimis plantis, quae
in prata artificialia ſeri poſſunt. Cum enim regio-
num alpinarum indigena ſit, nullum, etiam maci-
lentiſſimum, ſolum detrectare et in mera glarea,
interque deciduos lapides ſatam, prouenire conten-
dit; neque humida prata dedignari, neque, vt
vulgo creditur, in aquoſis putreſcere, neque vllas
coeli iniurias metuere, neque perinde boues infla-
re, per propria experimenta didicit. Radix *rubiae* n. 708.
ſylueſtris ſiccata pulcherrime rubet, neque puncto
nigro vitiatur, quod in media fere medulla *rubiae*
zeylanicae exiſtit et colorem corrumpit; quare Hel-
vetiam omnium ad opera tinctoria pulcherrimam eſ-
ſe, et Smyrnenſi illi, *lizari* dictae, non cedere af-
firmauit. *Galii veri* radix rubro, vt rubia, tingit n. 710.

colore, etiam ossa, et herba cum laneo filo et alu-
n.1029. mine macerata, luteum dat colorem. *Hippocastanum* non ad ambulacra solum vtilem, sed et oues integris seminibus pasci et bene ab eo cibo se habere, inuenit; cum aqua in saponaceum gluten abeunt, quo lintea vtiliter eluuntur, vt saponis compen-
n.1084. dium fiat. *Lignum St. Luciae* et a *pruno mahaleb* et a *pado* desumi et vtrumque lignum idem nomen
n.1204. gerere, vix dubitare licet. *Veratrum album* noxium integros montes, pascuis destinatos, inutile occupare et nullo animali vescum, praeter mulum, quem
n.1677. folia auide decerpsisse, vidit. De *equiseto aruensi* narrat: *cum seductus pulchritudine trifolii, equiseto inquinati, famulus, qui boum meorum curam gerebat, semel aut iterum vaccam, nuper vitulum enixam, hac herba aluisset, ex diarrhoea immedicabili eadem periit. Quare magnis pecuniis nostri arcanum redimerent, quo prata infaustissima herbarum liberarent. Mihi neque aratrum, neque fimus, neque alia cura profuit. Equis non nocet, neque ouibus, porci nostrates recusant, cum in Suecia non detrectent. Radicibus tamen glandium simile aliquid saepe adhaeret, quod porcos credas requi-*
n.1681. *rere. Chara vulgaris* foetore cicutam aequat et superat, hinc facile ANT. DE JUSSIEU credit, dum morbos epidemicos, inundationi Sequanae superuenientes, etiam huius plantae venenatae efficaciae tribuit, cuius virus aquam stagnantium fossarum corruperit.

Quo tandem ad finem perueniamus, de tabulis, eisdemque expressis iconibus monemus, omnes, quae in priori opere continentur, hic quoque adesse, accessit vero tabula II. quae sistit *asterem caule ramosissimo, foliis ouato lanceolatis, subtus incanis, floribus vmbellatis;* et tab. XX. exhibens *selinum foliis triplicato pinnatis, pinnulis latiusculis simplicibus et trifidis;* quod pro *caruifolia* I. BAUH. vel *angelica tenui-*

uifolia RIV. aſſumſit. A tabula autem XXII. ad XLIV. quae omnes nouae ſunt, tota ſatyriorum familia, egregiis iconibus expreſſa, ſpecies integro ſuo habitu, florumque partes, vitro etiam conuexo adhibito, perfectiſſime delineatae fuerunt.

Et haec ſufficiant dicta de opere incomparabili, et ſine pari, et quod botanicis aeque ac medicis gratiſſimum eſt, vtiliſſimumque erit. Vnico hoc volumine integram quaſi accepimus bibliothecam, vbique et in characteribus genericis et in ſpecierum deſcriptionibus, in obſeruationibus, viribus medicatis, ſumma vbique Auctores, libros, diaria, diſſertationes citauit, et ad ſingula ſaepiſſime verba notam adiecit, ſuumque cuilibet tribuit. Hinc et praemiſit operi Auctorum nomina et librorum editiones, qui ad illud ſcribendum inſeruierunt et quorum index, chronologico ordine conſcriptus, 34. paginas impleuit.

VII.

Der Drontheimiſchen Geſellſchaft Schriften aus dem Daeniſchen überſezt. Kopenhagen bey F. C. Pelt. 8. *Erſter Theil* 1765. 16. *pl. tab. aen.* 6. *Zweyter Theil eod. anno.* 1 *Alph.* 2 *pl. tab. aen.* 14. *Dritter Theil.* 1767. 1 *Alph.* 11 *pl. tab. aen.* 11.

i. e.

Acta Societatis Nidroſienſis, ex Danica lingua translata. T. I. II. III.

Cum Danica horum actorum editio ad manus noſtras non peruenerit, ex Germanica verſione, in Dania ipſa facta, praecipua voluminum trium priorum contenta indicamus. Societas vero haec, quae

nunc nomen regiae ſocietatis ſcientiarum Noruegicae gerit, a ſumme venerando IOA. ERN. GUNNERO epiſcopo Nidroſienſi in Noruegia, viro ſcriptis theologicis et philoſophicis non minus, quam botanico opere egregio *) claro, circa annum 1761 fundata, inſignia egregii huius viri in hiſtoriam naturalem merita vehementer auxit. Socios potiſſimum laborum habet Cl. viros SCHOENINGIUM, SCHYTTIUM, MÜLLERUM, BERLINUM, TOENNINGIUM, STROEMIUM **) et Ill. DE SUHM, qui tamen non omnes diſſertationes ad hiſtoriam naturalem ſpectantes, ſed et commentarios alius argumenti cum ſocietate communicarunt.

In primo vero volumine ſequentes diſſertationes continentur.

P. I. p. 1. 1) S. V. IO. ERN. GUNNERI diſſ. *de immortalitate animae.*

p. 54. 2) EIUSD. *animaduerſiones in locum* eccleſiaſt. cap. III. v. 19. ſequ.

p. 76. 3) Ill. DE SUHM *commentarii de genio ſeculi praeſentis decimi octaui ratione ſcientiarum;* pars prima.

p. 106. 4) Cl. SCHOENING *de annis annonae calamitate laborantibus* (Misjahre, Miswachs) *in dioeceſi Nidroſienſi inprimis obſeruatis.* Ex veterum recentiorumque ſcriptis ſummo ſtudio Cl. Auctor omnia collegit, quae a primis ad noſtra vſque tempora circa annos agrorum infoecunditate in Noruegia infauſtos notata fuerunt. Colligit vero ex his omnibus 1) vt plurimum tres eiusmodi annos ſibi ſucp. 134. ceſ-

*) Vid. *floram Noruegicam* EIUSDEM. Nidroſiae 1766. in fol. vid. ſuper. p. 513.

**) Auctor hic eſt deſcriptionis praefecturae Sondmoerienſis in dioeceſi Bergenſi, quae danice prodiit a. 1764. Vol. II. in 4. et plura quae ad hiſtoriam naturalem pertinent continet.

ceſſiſſe 2) ſemper fere eo tempore, quo regio haec annonae caritate laborauit, maximam harengum copiam Noruegiae littora viſitaſſe et annonae defectum quodammodo compenſaſſe. Cauſſa huius rei poſita eſt in ventis, inprimis borea et euro, qui eodem tempore, quo frigoris vi et pluuia cerealium incrementum et maturationem impediunt, harengum etiam cohortes ad littora Noruegiae pellunt.

5) KIUSD. diſſ. *de granario publico in Norue-* p. 137.
gia exſtruendo.

6) S. V. GUNNERUS *de procellaria Groen-* p. 154.
landica (Hauheſt). Auis haec eſt *porcellaria* (glacialis) *albicans dorſo caneſcente* LINN. ſiue *equus marinus* WILL. cuius deſcriptionem etiam Cl. MARTIN in actis Stockholmenſibus *) dedit. Deſcribitur hic inprimis roſtrum, cuius ſtructura plane ſingularis eſt, variique errores circa hiſtoriam naturalem huius auis, qui ex vulgi relationibus orti ſunt, emendantur. Foueam, quam in abdomine obſeruauit Cl. MARTIN et ad ouum recipiendum fabrefactam eſſe putauit, Venerandus GUNNERUS inuenire non potuit.

7) Ill. PETR. FR. SUHM *adnotationes* in hi- p. 171.
ſtoriam vniuerſalem ex Anglica lingua a Cel. BAUMGARTEN translata.

8) I. C. GUNNERUS *de nonnullis colymbis.* p. 201.
Prima huius generis ſpecies eſt *colymbus arcticus* LINN. (*Hymber*). Digitos tres anticos, membrana coniunctos, vnum poſticum, etiam membrana inſtructum, habet. Nidificat in montibus littore vicinis, oua ponit duo, oui anſerini magnitudine, virideſcentia, punctis lineisque nigricantibus inſtructa. Ex pelle huius auis mitrae parantur. Altera eſt *colymbus arcticus collari rufo* ſiue *colymbus ſeptentrio-*

*) Vid. Act. Suecic. Vol. XX. 1759. p. 94. Comm. noſtr. Vol. X. p. 202.

trionalis LINN. (*red throated duck or loon* EDWARDS tab. 97). Haec praecedente minor eſt, planeque ab ea diuerſa ſpecies, non ſexu tantum diſtincta. Tertia eſt *colymbus immer* LINN. ſiue *imber*, quae roſtrum habet, cuius mandibula ſuperior paullulum longior eſt inferiore, quae etiam verſus ſuperiorem ad apicem incuruatur. Macula ſcutiformis in pectore in hac ſpecie deficit, totumque corpus ſubtus albicans eſt. Ab hac ſpecie Venerandus GUNNERUS *mergum maximum Faeroenſem* WORMII ſiue *colymbum glacialem* LINN. ſeparat. His tribus *colymbi* ſpeciebus *columba* ſic dicta *Groenlandica* (*teiſte*) ſiue *colymbus grylle* LINN. additur, quam olim LINNAEUS ad *alcae* genus retulerat. Adduntur quoque variae obſeruationes de *anate fuſca* LINN. (*ſeeorren*) et de *ploto columbario* ſiue *columba Groenlandica minore* (*rotges*), quae *alca alle* a LINNAEO vocatur.

p. 231. 9) EIUSDEM *obſeruationes circa varia foſſilia in Nordlandia et Lapponia Noruegica reperta.* Varia indicantur loca, vbi in his regionibus nonnullae terrae ad pigmentum aptae, molybdaena, plumbi et cupri minerae, cryſtalli, margaritae etc. reperiuntur.

p. 242. 10) *Obſeruationes variae, ad eundem* S. V. GUNNERUM *miſſae* a viro Cl. ERICO SCHYTTE. Inſtituit eas anno 1758 et 1759. in loco Noruegiae *Lyngen* vocato. In ſpongia, recenter e mari extracta, motum Cl. SCHYTTE vidit alternum, cum ad ta-

p. 249. ctum ſe contraheret. Scilicet in media ſpongiae parte vermis reſidet et ope tentaculorum aut cirrhorum, qui e corpore ſuo, tanquam radii e centro, per totam ſpongiam excurrunt, eam contrahere valet *).

p. 244. Oleum tartari per deliquium frigoris vi in cryſtallinum

*) De animali ſpongiarum natura vide ea, quae in Comment. noſtr. Vol. XIII. p. 678. et Vol. XV. p. 162. ſeq. adducta ſunt.

num magma mutari, Cl. Auctor obſeruauit. Lucidae partes in aqua marina obuiae, ſi eius aquae deſtillatio ſuſcipitur, non tranſeunt in vas recipiens. Aqua marina, in glaciem mutata, etiam phoſphoream indolem retinet. Hinc lux illa non a vermibus oriri poteſt *). In *ceruo tarando* etiam bezoar bruni coloris reperitur. Finnici fungum igniarium, eodem modo, vti Sinenſes moxam, in doloribus variarum corporis partium adhibent. p. 249. p. 247.

11) *Catalogus nuptorum, natorum et mortuorum in dioeceſi Nidroſienſi* a. 1758, 1759 et 1760. Anno 1758 matrimonium inierunt 1209 paria; nati ſunt 4925, mortui 3730. Anno 1759 matrimonium inierunt 1267 paria; nati ſunt 5137, mortui 4150. Anno 1760 matrimonium inierunt 1353 paria; 5454 nati, 4142 mortui ſunt, vt itaque tribus his annis 3494 plus nati, quam mortui ſint, inter 16000 mortuos vnicus tantum eſt ab aliis occiſus. p. 250.

12) *Pretia variarum mercium in dioeceſi Nidroſienſi* ab anno 1755 ad 1760. p. 253.

In tabulis ſex aeneis ſex aues deſcriptae delineantur.

In volumine ſecundo ſequentes commentarii reperiuntur.

1) S. V. GUNNERI *adnotationes in locum geneſ.* P. II. cap. 36. p. 1.

2) Cl. SUHM *genius ſeculi praeſentis ratione ſcientiarum.* Pars ſecunda. p. 15.

3) Cl.

*) *Nereidi noctilucae* LINN. plurimi recentiorum hanc lucem adſcribunt, vid. BASTER *opuſc. ſubſec.* I. t. 4. f. 3. GODEHAU *mem. preſ.* T. III. p. 269. Comment. noſtr. Vol. X. p. 399. et LINN. amoen. Vol. III. p. 203. t. 3. Comm. noſtr. ſuppl. Dec. I. p. 100.

p. 91. 3) Cl. SCHOENING *relatio de naufragio et aduentu* PETRI QUIRINI *Nobilis Veneti* in *Nordlandiae inſulam* Röſt 1432.

p. 146. 4) Cl. SUHM *obſeruationum in hiſtoriam univerſalem Anglicam, a beat.* BAUMGARTENIO *tranſlatam, continuatio.*

p. 216. 5) S. V. GUNNERI *deſcriptio ſquali lutei.* Eſt *ſqualus* (catulus) *dorſo ocellato mutico, pinnis ventralibus concretis, dorſalibus caudae approximatis, capite punctato* LINN. Exhibetur hic anatome horum animalium, inprimis partium, in femellis generationi dicatarum. In vagina reperiuntur ouа, teſta cornea quaſi inſtructa, ex quibus fetus ibidem excludi videntur, cum ſquali viuipari ſint.

p. 230. 6) IDEM *de myxine glutinoſa* LINN. (ſleepmarken). Vermis hic anguillae ſimilis eſt, quapropter etiam a WILLOUGHBEYO et RAIO *lampetra coeca oculis carens* vocatur. Iis, quae de hoc verme Ill. LINNAEUS in ſyſtemate et deſcriptione muſei Adolpho-Friedericiano habet, addimus: plures poros in duas lineas diſpoſitos in abdomine ad carinae, a LINNAEO deſcriptae, latera reperiri, ex quibus non minus, quam ex ore et ano gluten viſcidum copioſiſſimum exſudat, ita vt tota aqua, cui immiſſus eſt hic vermis, in gluten vertatur. Adiecta eſt anatome eiusdem, ex qua patet, ſexu diſtinctum eſſe, nec ad androgyna pertinere. Illum piſcium cadauera intrare non minus, ac piſces viuos, in retibus captos, atque ad citiorem cadauerum, in mare natantium, deſtructionem vtiliſſimum eſſe, iam ex LINNAEO notum eſt.

p. 237. 7) IDEM *de delphino phocaena* (niſen). Anatome huius animalis, a BARTHOLINO aliisque tradita, hic emendatior exhibetur. Foraminulum ad oculos, quod ad organon auditus ducit, magnitudinem capitis aciculae habet, nec narium foramina etiam

iam maiora ſunt. Membrana ſingularis ſtructurae, in gyros conuoluta, impedit, ne aqua ex ſpiraculis ad tracheam tranſeat.

8) IDEM de *fele marina*. Eſt *chimaera* (monſtroſa) *roſtro ſubtus plicis pertuſis*. LINN. Argenteum magis colorem, quam flaueſcentem habet, cum maculis fuſcis. Oculi magni virideſcentes, et ſplendentes ſunt. In capitis anteriore parte plura foramina, in lineas diſpoſita et inter ſe communicantia, ex quibus gelatinoſum viſcidum exſudat, deprehenduntur. Communicant quoque cum cauitate narium. In maxilla ſuperiore dentes duo inciſores ſunt, lati, ſulcati quaſi, molaresque duo trigoni. In inferiore duo ſunt dentes, ſeu potius lamellae oſſeae. Teſtaceis victitat. Spiracula duo ſolitaria ſub collo, quatuor foraminibus inſtructa; branchiae tres. Pinnae pectorales ſeu laterales duae numerantur, maximae; ventrales duae ad latera ani; ani pinna vnica, quae in caudalem quaſi deſinit. Pinnae dorſales tres, quarum prior ſerrata, atque oſſe longo acuto inſtructa eſt. In poſteriore linea in vtroque latere deprehenditur, quae ad caput extenditur: cauda longiſſima in filum deſinit. Additur diſſectio huius piſcis. Duae aperturae vaginae exteriores ſunt, inter quas pars eſt clitoridi ſimilis; totidem quoque vaginae et ouaria numerantur, a ſe inuicem ſeparata. Oua intus excludi videntur, vt in ſqualis. Mas penes duos habet et in capitis vertice faſciculum cartilaginoſum ſiue cirrum gerit, quem erigere et deprimere poteſt, penicillo terminatum; praeterea ante anum duo quaſi calcaria, aculeis inſtructa, habet, quae in fouea quadam latent. Quae S. V. GUNNERUS circa varias deſcriptiones huius piſcis, quae apud Auctores occurrunt, monet, omittimus.

p. 248.

p. 259.

9) IDEM

p. 284. 9) IDEM *de galeo nigro* (ſorthaae). Eſt *ſqualus ſpinax* LINN. Dorſum horum piſcium ex nigro coeruleum eſt, cum ſplendore argenteo, in abdomine vero atrum colorem habent. Dentes tribus ordinibus diſpoſiti ſunt. Retro oculos *) foramen eſt, quod nonnulli meatum auditorium eſſe putant; in oris vero cauitatem patet. Narium foramina in capitis apice deprehenduntur. Ante vtramque pinnam dorſalem ſpina eſt. Penes duo retrorſum imbricati ſunt aculeis oſſeis, qualis fabrica etiam in raia deprehenditur.

p. 291. 10) IDEM *de gorgonia reſedaeformi.* Hoc zoophytum, quod etiam Cl. PALLAS *gorgoniam reſedam*, LINNAEUS vero *gorgoniam lepadiferam* vocat, in mari Noruegico reperitur. CLUSIUS iam eius nomine *plantae marinae reſedae facie* mentionem fecit. Stirps dichotoma eſt, totaque obtegitur capſulis ſeminalibus campaniformibus, inferius ſeptem vel octo foliis clauſis. Exterius capſulae illae ſquamas imbricatas habent. Polypos eſſe has capſulas, Cel. Auctori veroſimile eſſe videtur. Stirps ſub capſulis his corticem calcareum oſtendit, qualis etiam capſulas obducit. Sub cortice pellucida membrana eſt, quae librum quaſi refert. Natura ſtirpis inprimis ad radicem oſſea, ramorum cartilaginea eſt.

p. 299. 11) IDEM *de ſqualo carcharia* (haa-ſkierding). Quanta ſit gulae in hoc piſce amplitudo, ex eo coniicere poſſumus, quod Cel. GUNNERUS refert: in ventriculo eius phocam bouis magnitudine et quatuordecim alios piſces repertos fuiſſe. Dentes inprimis accuratius hic deſcribuntur, qui in vtraque maxilla in tres ordines diſpoſiti ſunt. Differt tamen figura eorum, qui in inferiore ſunt, a figura dentium ſuperioris maxillae. Adiecta quoque eſt breuis huius piſcis anatome.

12) Cl.

*) In LINNAEI ſyſtemate edit. XII. p. 398. *ante oculos* hoc foramen ponitur.

12) Cl. CORNEL. MÜLLER *descriptio ralli aquatici* (vandhoen). Color et externus huius auis habitus breuiter describuntur, eiusque differentia a *rallo crex* (ager-rixe) indicatur. p. 308.

13) Cl. HENR. TOENNING *descriptio cotti scorpii* LINN. (sympe, vlk). Piscis hic non adeo rarus est in oceano Noruegico. Dorsum coeruleum est rubris maculis distinctum, abdomen album in femina, rubrum in mare maculis albis variegatum. Membrana branchiostega secundum Nostri descriptionem, quae a descriptione aliorum Auctorum (vid. LINN. *syst.* T. I. p. 452.) differt, radios tres: pinnae pectorales radios sedecim: abdominales tres: dorsalis prior nouem, posterior sedecim radios habent. Analis duodecim, totidemque radiis caudalis pinna instructa est. p. 312.

14) *Nonnullae adnotationes et animaduersiones in mappam regni Noruegiae nuper editam*, Auctore Cl. G. SCHOENING. p. 317.

15) *Nonnullae obseruationes meteorologicae a mense april.* 1761 *ad finem* a. 1762 Borgensundii *ad oceanum septentrionalem sub* 62° 33′, *sito, factae* a Cl. I. STROEM. p. 341.

16) Cl. IOH. DAN. BERLIN *obseruationes meteorologicae* Nidrosiae a. 1762 *factae.* p. 366.

In volumine tertio reperiuntur sequentes dissertationes:

1) S. V. IOA. ERN. GUNNERUS *de gorgonia flabelliformi.* Elegans haec *gorgoniae* species, quae, vt *gorgonia lepadifera* secundo volumine descripta, etiam in oceano Noruegico reperitur, a LINNAEO *gorgonia placomus* vocatur. Stirps lignosa suberi similis. Sub cortice calcareo substantia est coriacea, quae lignosum corpus obducit; hanc continuum animal efficere, quod per flores, p. I. P. III.

ex radiis octo, in centro coniunctis, compositos, nutrimentum suum capiat, Cel. Auctor autumat.

p. 13. 2) IDEM *de nonnullis seminibus et fructibus Americanis, quae ad litora maris Noruegici reperiri solent.* Mirum est quotannis in litore maris non solum in dioecesi Nidrosiensi, sed et in aliis Noruegiae provinciis, colligi plures species seminum ignotorum, quae a rusticis variis nominibus insigniuntur, qui ex iis varia vtensilia parant et remedii loco quoque adhibent. Has summe venerandus Auctor accuratius examinauit ostenditque illam speciem, quae omnium frequentissima reperitur, et *vettenyrer, lösnings-steen* etc. ab incolis vocatur, esse *fabam purgatricem latissimam ex insula St. Thomae* BAUH. siue *lobum crassum ex insula St. Thomae* CLUSII *). Altera est *lobus peregrinus cartilagineus* CLUSII **). Reperiuntur porro legumina *cassiae fistulae*, nux reniformis *anacardii orientalis*, *cucurbita lagenaria* (calabasse) et *cocos nucifera.* Semina haec, quae in America meridionali potissimum crescunt, maritimo itinere in Noruegiam deferri nullum est dubium.

p. 28. 3) IDEM *de squalo maximo* LINN. (brugden). Maxima haec squali species, quae etiam omnes alias robore longum superat, a Cel. Auctore primum describitur. Pinna dorsalis anterior maior posteriore est, pinna ani vero parua. Gula parua est atque in eius ventriculo, vt in balaena, vermes tantum, medusae etc. reperiuntur. Nullos in hac specie dentes Cel. Auctor obseruauit ***), adsunt potius, vt in *balaena*, laminae corneae loco dentium.

4) IDEM

*) Planta, ex qua haec faba est, quam S. V. Auctor ex LINNAEO determinare non potuit, est legumen *mimosae scandentis.* Vid. LINN. *amoen. acad.* Vol. VII. p. 477.

**) Est legumen *piscidiae erythrinae* LINN. vid. *ibid.*

***) Ill. LINN. in *syst.* edit. XII. conicos dentes ei adscribit. Cl. BRÜNNICH in *ichthyologia Massilienſi* Hafn.

4) IDEM *de coryphaenoide rupeſtri.* Piſcis hic rariſſime in Noruegia reperiundus a piſcatoribus *ſalmo montanus* vocatur. Inter genera piſcium, a LINNAEO conſtitutorum, nullum eſt, ad quod Cel. Auctor commode referre eum potuit. Pertinet ad abdominales LINN. cum pinnae ventrales pone pinnas pectorales ſitae ſint. Longitudo totius corporis vlnam vnam cum ſemiſſe ſuperat. Caput maxime truncatum eſt, ſquamis minoribus obtectum: dentes plurimi acuti in vtraque maxilla in ordines diſpoſiti ſunt. Membrana branchioſtega radiis ſex inſtruitur. Corpus ipſum cathetoplateum eſt, in caudam acutiſſimam deſinens, quae longitudine reliquum corpus ter ſuperat. Linea lateralis aſpera eſt ſetis plurimis minoribus, argenteum ſplendorem obtinentibus. Anus vix 3′ a thorace diſtat. Dorſum dipterygium: prima pinna radios 10 habet, ex quibus primo oſſeus retrorſum dentatus eſt. Altera longiſſima per totam caudam fere excurrit 170 circiter radiorum: pectorales pinnae radiis 20: abdominales radiis 7, prioribus duobus dichotomis. Analis 193 circiter radiorum eſt. Ex his Cel. Auctor concludit, hunc piſcem nouum forte genus conſtituere. Cl. STROEM, qui in *deſcriptione dioeceſ. Sundmoerienſis* p. 269. de hoc piſce iam diſſeruit, eum medium genus inter *blennium* et *coryphaenam* conſtituere autumat, vocatque *coryphaenam dorſo dipterygio, radio primo pinnae dorſalis primae retro dentato.* p. 43.

5) *Aphroditae aculeatae* LINN. *deſcriptio*, Auctore EODEM. Aphroditam hanc, vt alios taceamus, etiam Cl. PALLAS in *miſcellaneis zoologicis* p. 51.

Hafn. 1768. p. 6. etiam *ſquali edentuli* mentionem facit, qui ad Liburnum captus eſt, cuius vero caput tantum examinauit, qui forte eadem ſpecies eſt.

deſcripſit*). Inteſtinula coeca, quibus inteſtinum per totam longitudinem pinnatum eſt, Cel. GUNNERUS vaſa eſſe ſuſpicatur reſorbentia, quae in veſiculas inſeruntur, quibus haec inteſtinula terminantur.

p. 69. 6) *De tethyo ſoriabili* Auctore EODEM. Deſcriptum eſt hoc molluſcum a Cl. BOHADSCH *de quibusdam animalibus marinis* p. 132. ſub nomine *tethyi faſciculati*, Ill. LINNAEUS vero illud ad *aſcidiae* genus refert, et *aſcidiam inteſtinalem* vocat. Addita eſt deſcriptio ventriculi, qui cum ventriculo *tethyi* ſuperius ex Cl. PLANCI deſcriptione adducti **) conuenit.

p. 88. 7) IDEM *de laro paraſitico* LINN. *mare, et ſkua* HOYERI *femina* (*laro catarractae* LINN.) Auctorum potiſſimum deſcriptiones in hoc commentario inter ſe comparantur.

p. 101. 8) IDEM *de laro tridactylo* LINN. (*krykkie*).

p. 107. 9) IDEM *de colymbo maximo* (*Hau-hymber*). Differentiae huius auis a *colymbo arctico* ***), quo cum inter omnes huius generis ſpecies maximam ſimilitudinem habet, indicantur. Suſpicatur Cel. Auctor, hanc ſpeciem marem eſſe *colymbi immer* ſuperius deſcripti ****).

p. 114. 10) *De lomuia ſeu colymbo troile* LINN. Has duas aues non inter ſe differre, vti multi autumarunt, ſed vnam eandemque ſpeciem eſſe, demonſtratur. Roſtrum huius auis cum roſtro *lari* multum conuenit.

p. 121. 11) *De pelecano criſtato* (top-skarven) *et muſtela gulone* LINN. (iaeruen). *Pelecanus criſtatus* ma-

*) Vid. p. 77. vid. Com. noſtr. Vol. XV. p. 244. cum qua deſcriptione haec omnino comparanda eſt. Vid. PALLAS p. 86.

**) Vid. ſup. p. 533.

***) Vid. ſup. p. 667.

****) Vid. ſup. p. 668.

magnam cum ea ſpecie huius generis ſimilitudinem habet, quae a LINNAEO *pelecanus carbo* dicitur. Differt tamen criſta ſuberecta, corpore atro immaculato, et rectricibus duodecim, cum *pelecanus carbo*, corpus nigrum ſubtus albicans et rectrices quatuordecim habeat. Figura *muſtelae gulonis* hic exhibita differt a figura KLEINII *). Pedes enim breuiores, cauda vero longior hic eſt, quam in figura Kleiniana.

12) *De genio ſeculi praeſentis.* Sectio tertia. Auctore Ill. DE SUHM. p. 125.

13) *Obſeruationum in hiſtoriam vniuerſalem, a* beat. BAUMGARTENIO *editarum, continuatio*, Auctore EODEM. p. 160.

14) *De inuentione fodinae cupri Meldalienſis.* Auctore Cl. GERHARDO SCHOENING. p. 265.

15) Cl. IOH. STROEHM *deſcriptionum inſectorum Noruegicorum* pars prima. Deſcribuntur hic inſecta 63, et nonnulli vermes. *Silpha thoracica* Auctoris Cl. aliquo modo ab ea, quam LINNAEUS deſcribit, differt, ideoque etiam hic delineata eſt. Delineantur quoque cerambyx inquiſitor, coccionella ſeptem punctata, leptura arietis, cantharis obſcura, elater aeneus, carabus hortenſis, ſtaphylinus erytropterus, libellula grandis, panorpa Germanica, tenthredo pratenſis, ichneumon comitator, et tipula cornicina. Porro chiton punctatus, helix domeſtica et hammonis, tandemque turbo bidentatus exhibentur. p. 338.

16) EIUSDEM *deſcriptio tringae ſtriatae* LINN. (ſioerepeſt). p. 395.

17) EIUSDEM *deſcriptio gadi merlucioidis* (bürkelange). Similis eſt *gado merluccio* LINNAEI, ſed cirratus eſt, pinnaque ani officula 70 habet: p. 399.

*) Vid. KLEINII quadrupedum diſpoſ. Lipſ. 1751. 4. tab. vltima.

pectorales 20: dorſalis prior 14, poſterior 56. A molua, inprimis maxilla inferiore, longiore differt.

p. 406. 18.) EIUSDEM *continuatio obſeruationum meteorologicarum* a. 1763 *inſtitutarum.*

p. 416. 19) *Continuatio obſeruationum meteorologicarum Nidroſiae* a Cl. BERLIN *inſtitutarum* 1763. et 1764.

20) *Introductio in tonometriam ſeu facilis ac expedita ratio computandi harmoniam muſicam per logarithmos vna cum explicatione ac declaratione monochordii* a. 1752. *inuenti* Auctore EODEM.

p. 510. 21) *Obſeruationes circa varia corpora naturalia* ad S. V. GUNNERUM a Cl. OLAO RIE *miſſae. Verbaſcum thapſus* etiam in hominibus contra phthiſin a ruſticis in Noruegia vſurpatur. *Campanulae latifoliae* herba ad olera ſumitur.

VIII.

Commentatio prima de medicis equeſtri dignitate ornatis. Praemiſſa eſt diſſertatio de vera felicitate e ſtudio et exercitio artis medicae capienda, philoſopho aeque ac chriſtiano digna. Berolini, 1767. 4. pgg. 164. Typis Ioannis Georgii Boſſe. (Auctore IOANNE CAROLO GUILELMO MOEHSEN. Medic. Doctore et collegii medici Berolinenſis membro etc.)

Auctor huius commentationis propoſitum argumentum ſic pertractauit, vt in enumerandis medicis, equeſtri dignitate ornatis, breuiter vbique ordinis notitiam traderet, vt de ordine generoſitatis, et argumenta, vbi hiſtoriae ſcripta deficiebant, veluti de IOANNE SLOANIO, e ſuis cimeliis, quae

quae haud contemnenda videntur, tanquam iconibus, aeri vel ligno inciſis, tabulis pictis, nummis, depromeret. Nos, ne ieiunum eorum catalogum conſcriberemus, praecipuos tantum, vbi plures ſuppetebant, deſcribendos exiſtimauimus. Orditur quidem a medicis equitibus apud Romanos, inprimisque ANTONIUM MUSAM commemorat.

Pergit deinde ad Melitenſes, inter quos equites fuerunt hi medici: MICHAEL SAVONAROLA, ANTONIUS TEBALDUS, PETRUS ARTENSIS DE SCUDALUPIS. Ex equitibus S. ſepulcri Hieroſolymitani praeter alios refert hos medicos: IOANNEM VESLINGIUM, BERNHARDUM VAN DEN BECK; ex equitibus Ordinis S. Catharinae in monte Sinai LEONHARDUM THURNEISSER; ex equitibus S. Spiritus de Saxia MICHAELEM MERCATUM, IULIUM DE ANGELIS; ex equitibus S. Chriſti PIUM NICOLAUM GARELLUM, AMARIUM ROGEIRA DA COSTA, EMANUEL MONTEIRO DE FONSECA, IACOBUM DE LARGE et praeter hos complures alios ex natione Hiſpanica; ex equitibus Ord. S. Michaelis ANTONIUM MUSAM BRASAVOLAM, IOANNEM BAPTISTAM CAPPONIUM, ANTONIUM DEIDIER, alios. Neque chirurgos hoc ordine ornatos praetermiſit, ſicut GERMANUM DE LA MARTINIERE, PIBRAC, PARCHET, GEORGIUM MARESCHALLUM; ex equitibus Ord. S. Ludouici IOSEPHUM PITTON DE TOURNEFORT; ex equitibus Ordinis Periſcelidis IOHANNEM WATSON; e numero equitum Baronettorum hos: IOHANNEM SLOANE, EDUARDUM GRAWES; EDUARDUM HULSE, GUILIELMUM DUNCAN DE MARYBONE; ex equitibus noui ordinis ſtellae polaris CAROLUM LINNAEUM, NICOLAUM ROSEN et

p. 15.
p. 19.
p. 32.
p. 34.
p. 52.
p. 62.
p. 71.
p. 84.

p. 92. CHRISTIANUM RONNOW; ex equitibus ordinis Brandeburgici, cui nomen eſt *la generoſité*, medicum legatum FRIDERICUM LUDOVICUM
p. 133. BONETUM. Inſunt praeterea plura, ſicut narrationes de vitis medicorum et diſputatio de progreſſu artium et diſciplinarum ex Italia in terras ſeptentrionales, quae vero omnia proponere nimis longum foret.

p. 3. His praemiſſa eſt diſſertatiuncula de vera felicitate, e ſtudio et exercitio artis medicae capienda, philoſopho aeque ac homine chriſtiano digna, ad Cl. COTHENIUM. Ponit quidem veram illam felicitatem ſecundum THALETEM in ſanitate corporis, facultatum poſſeſſione et ingenii exercitio et robore. Neque vllum diſciplinarum genus eſſe exiſtimat, quod arte medica faciliorem homini viam monſtret ad talem felicitatem perueniendi. Namque medicum ex artis ſuae exercitio diſcere, quomodo et ſuae ipſius, et aliorum valetudini conſulat; quod vbi rite perceperit, et ad ſalutem aliorum conferre didicerit, nihil eſſe arte iſta praeſtantius, vel ad opes comparandas, vel ad miſerorum fortunam ſubleuandam. Denique etiam mentis facultates cum in diſcenda hac arte, tum in exercenda, quoniam pluribus aliis doctrinis ingenium ad hoc ſubactum eſſe oporteat, mirifice excoli et augeri, et patientiam, miſericordiam et omnem omnino humanitatem excitari, ali et confirmari.

IX.

IX.

De vita ANTONII MUSAE BRASAVOLI commentarius hiſtorico medico criticus, ex ipſius operibus erutus ab ALOYSIO FRANCISCO CASTELLANI, Philoſopho ac Medico Colleg. Ferrar. Mantuae excudebat Ioſeph Braglia. 1767. 8.

Indignatio quaedam aduerſus eos, qui BRASAVOLI, viri celeberrimi et meritiſſimi, memoriam nec pie ſatis, nec diligenter poſteris commendarunt, mouiſſe videtur Cl. CASTELLANUM, vt ipſe narrationem hanc de vita eius quam poſſet ſtudioſiſſime conſcriberet, et ea, quae BARUFFALDUS collegerat, examinaret accuratius atque augeret. In quo praeter alia monumenta, quibus hiſtoriae fides nititur, praeſertim ipſis BRASAVOLI operibus vſus eſt, in quibus ille de ſe vitaque ſua ſaepiſſime admonuit: quo labore hoc effecit, vt commentarius hic vberrimus fieret, ne minimis quidem, quae vllo in loco de ſe ipſo BRASAVOLUS dixerat, praetermiſſis, et ſaepe incerti rumores aut refellerentur, aut in certam fidem mutarentur. Fuit autem BRASAVOLUS, ſiue doctrinam, ſiue famam ſpectes, dignus tali honore. Non modo enim permulta ſcripſit, ſed, vt e catalogo operum eius, qui huic commentario inſertus eſt, apparet, multa quoque inchoata reliquit, de quibus ipſe quidem loquitur, quae tamen numquam in lucem prodierunt. Morborum curationibus ita diſtrictus fuit, vt ſingulis annis vltra mille et quingentos aegros curaſſe tradatur, quae narratio teſtimonio AMATI LUSITANI conſtat, ab eiusque fide tota pendet. Primus BRASAVOLUS gonorrhoeam virulentam deſcripſit, primus mercurii vim anthelminthicam

defendit, primus HIPPOCRATIS aphorismos, cum PHILOTHEI in eos commentario graeco, latinos fecit, atque adeo institutiones linguae graecae edidit. Botanicae disciplinae instaurator fuit; discipulos habuit et multos, et nobilissimos; amicos autem eos omnes medicos, qui tunc celebriores fuerunt, in his quosdam, quos in itinere gallico ipse sibi conciliauerat; archiater etiam fuit Herculis Estensis, ducis Ferrariae, et Alphonsi, patris Herculis, denique Pauli tertii, pontificis Romani.

Iam liceat, si qua restent de vita ipsa, breuem eorum summam tenuiter excerptam hic proponere, cum non aeque copiosi esse possimus, ac CASTELLANUS fuit, nec persequi omnes tres libros, in quos hic commentarius diuisus est. Itaque neglectis iis, quae secundo libro de ingenio moribusque BRASAVOLI, et tertio de nonnullis controuersis incertisque rumoribus dicuntur, argumentum primi libri, qui ipsum vitae cursum prosequitur, repetemus, etiamsi maiora iam supra attigimus. Ferrariae a. 1500 natus est, et cum eligendum vitae genus esset, eam inter clericos agere primo placuit; sed mox transiit ad iuris scientiam, in qua ipsa tamen non diu commoratus est, veluti vi quadam ad medicinam vocaretur. Cognitis ergo cum aliis, tum medicis doctrinis, per octo annos lector dialectices apud Ferrarienses fuit, in eoque genere tam multa scripsit, vt eius intelligentissimus fuisse videatur. Sed et haec, et physicen, cuius lector postea ibidem fuit, vt erat illa aetas, iuxta ARISTOTELEM tractauit, cuius physicos libros etiam commentario illustrauit. Examen simplicium medicamentorum, quod edidit, aduersarium habuit ALOYSIUM MUNDELLAM Brixianum, cui tamen BRASAVOLUS nihil respondit. Obiit in patria vrbe a. 1555, et quemadmodum vita factisque meruit, vt ad hunc

vsque

vſque diem laude atque fama floreret, ſic certum eſt, memoriam eius, etiam hoc Caſtellaneae pietatis monumento conſecratam, poſt multa ſecula ſalvam fore.

X.

ADAMI CHENOT philoſophiae ac medicinae Doctoris, rei ſanitatis Tranſyluanae phyſici regii, tractatus de peſte. Vindobon. Typis Io. Thom. Nob. de Trattnern 1766. 8. 14½ pll. ſine praef.

Inter libros vtiles, quorum ſummam noſtris Lectoribus adhuc debemus, non temere atque immerito hunc de peſte eſſe referendum, ex iis, quae accurate et aſſidue a Cl. CHENOT hac de re ſunt tradita, indicatis, elucebit. Ipſe enim Cl. Auctor morbi huius crudelitati interfuit et magna cum attentione atque ſtudio in eius ortum, cauſſas, ſymptomata, ſigna, progreſſum finemque inquiſiuit et methodum ei medendo aptam eſt perſecutus. In hunc modum itaque hic liber, quinque capita complectens a Noſtro conſcriptus eſt. Ac primum quidem origo, progreſſus fata et finis peſtis in Daciae Tranſiluanicae quibusdam locis ab initio octobris 1755. ad finem ianuarii 1757. exponuntur, vbi tabula mortuorum et curatorum addita eſt, dein de peſte in vniuerſum quaedam proponuntur, tertio de peſtis ſymptomatibus et vario eiusdem decurſu agitur, quarto methodus ei medendi declaratur et tandem eius arcendae atque praecauendae modus traditur.

Cauſſa peſtis hic deſcriptae, quae ab orientalibus p. 33.
maris mediterranei oris huc allata eſt, contagioſa, vt alia miaſmata contagioſa e. c. varioloſum ex vno ho-

homine in alium migrat, non omnes tamen peſte corripiuntur, quibus cauſſa peſtis applicatur. Sunt, qui diu, noctu inter hos aegros verſentur et profecto miaſmate inquinentur, ab hoc morbo interdum ſemper, interdum per hebdomadas et menſes immunes. Conſentiunt enim medici, poſſe venenum peſtiferum in corpore humano aliquamdiu deliteſcere et ex facili peſtis decurſu in quibusdam patet, poſſe hoc miaſma cum humoribus ſine noxa interdum circumduci. Vidit Noſter ſenem ſeptuagenarium, qui e feneſtra domus infectae panem accepit et peſtem, qua tertio die mortuus eſt. Mala, quae a miasmate proficiſcuntur, ſunt virium debilitas, languor, proſtratio, pulſus ſine inſigni celeritate imbecillitas, temulentiae aemula capitis hebetudo, dolor, grauitas, ſtupor, vertigo, oculorum vigor a ſe ipſo alienus, linguae flacciditas, tremor, balbuties, materiae aeruginoſae reiectio, vrinae pallor, aliaque plura, quae in nullo alio morbo citius, frequentius, violentius ac in peſte apparent.

p. 42. Ex quibus patet, miaſma peſtiferum in neruorum ſyſtema ſuam potiſſimum vim exſerere. In primo ſaltem impetu nulla humorum corruptio proditur. Quapropter et veteres peſtem morbum cordis dixerunt non temere. Subitanea enim laſſitudo et arteriae debilitas indicant influxum ſpirituum vitalium in cor labefactatum. Eſt profecto maior et minor debilitas in his aegris. An hinc repetenda humorum reſolutio? Vnde ergo inflammatoria in nonnullis viſcoſitas?

p. 43. Nunc ſubiicit quaedam corollaria: an peſtis ſui iuris aliquando paucos tantum feriat et exſtinguatur? cur peſtis aeſtate et autumni initio latius diffundatur et ſaeuiat? cur peſtis hyeme ceſſet frequentiſſime, aeſtate rariſſime? cur hyeme, vere et aeſta-

aeſtatis initio carbunculi rariores? Qui homines magis, qui minus peſti obnoxii? Phlegmatici facilius emergunt cholericis et ſanguineis. Hydropici aegre peſte corripiuntur. Vir, phthiſi laborans et mulier, ſcabie inquinata, peſte infecti ſunt. Senes a peſte minus afficiuntur. Vir triginta quinque annorum, qui peſtem 1738 feliciter ſuperauerat, munere aegros ſubleuandi in noſocomio fungebatur et inter triduum peſte correptus peribat. Rarius vero eadem peſtis bis homines inuadit. Famulus tamen Noſtri ter peſtem expertus eſt. Ac primum quidem ſub finem iulii cum febre miti et bubonis germine per aliquot tantum dies. Secundo medio ſeptembre carbunculus occupabat angulum maxillae inferioris ſiniſtrae, non vero vacandum ei erat negotiis. Tertio menſe nouembri, praegreſſo leui horrore, bubo, rurſus poſt aliquot dies euaneſcens, apparebat. An eſt febris peſtilentialis ſine peſte? In nonnullis aegris peſte laborantibus, petechias vidit nullamque aliam, praeter petechias, eruptionem. Bubones et carbunculos in peſte non, vt SYDENHAMUS, reiicit.

Peſtis initium varia ratione prodebatur. Inſolita p. 53.
corporis inertia, grauitas, torpor, laſſitudo, inedia, lumborum moleſtia, capitis grauedo, hebetudo, obtuſus dolor, vagi cutis ſuccuſſus, phlogoſes et ſimilia nonnullos aegros tenebant. Alii vagas interea verſus inguina, axillas et parotides, vibrationes ſentiebant. Interdum materia oberrans figebatur et bubonem formabat. Alii febre intermittente laborantibus ſimiles ſe gerebant. Alii in febrem continuam ſimplicem, continuam putridam, inflammatoriam et ardentem incidere videbantur. Alii primis diebus in ſomnum erant procliues. Leuis vero et breuis horripilatio, calor fere naturalis ſuccedens, pulſus robore et velocitate ad naturalem accedens, laſſitudo exigua,

exigua, capitis grauitas, dolor mitis, mentis non magna hebetudo, ſitis vix vlla breuem morbum ſalutaremque exitum pollicebantur, praeſertim ſi bubo leuabat haec ſymptomata. Interdum, ſudore accedente, matcria morbifica tota circa quartum diem diſſipabatur. His vero ſymptomatibus auctis cumque anxietate, cardialgia, delirio et ſopore coniunctis, morbus trahebatur. Acutior eſt peſtis, quae cum horroris calorisque diurna viciſſitudine, magna anxietate, ſubitanea et ingenti virium proſtratione cet. ingruit. Acutiſſimus eſt peſtis gradus, horrore diu et valide perſeuerante, quem nullus magnus calor ſequitur, pulſu celeriore languido inaequali, fere vacuo, vertigine, temulentia, balbutie accedentibus. His adiungebatur vt plurimum materiae virideſcentis, aeruginoſae et bilioſae eiectio, quam inter primum et tertium morbi diem breui mors ſequebatur. Signa externa peſtis ſolae petechiae erant latae, in multis tamen cadaueribus non apparebant.

p. 69. Permultum autem confert ad morbi huius hiſtoriam explanandam, prognoſin firmandam et therapiam illuſtrandam apoſtematum peſtilentium, bubonum ſcilicet et carbunculorum ratio. Bubo oritur ſaepenumero ſine vlla aegritudine. Carbunculus vero leni febre formatur. Vno ſeu altero apparente, ceſſabant ſymptomata. Oriuntur hi tumores plerumque ſub axillis et in inguinibus, rarius pone aures et peſti ſolummodo ſunt proprii. Quorum maturatio fit raro ſeptimo nonoque die, plerumque ad decimum quartum, imo vigeſimum. Bubo maturus, ſi duritiem nec vllam cutis mutationem excipias, cum abſceſſu plane conuenit. Sic non raro Noſter vere maturos incidi iuſſit, qui externe nondum maturi videbantur. Inciſionis retardatio hic

eadem

eadem affert incommoda, quae in abſceſſu quolibet. Bubo vel natura vel arte maturus, poſtquam inciſus eſt, pus album craſſum, laeue, aequabile effluit. Si ſchoroſum eſt et ſanies coalitionem vulneris impedit et vlcus format, ab iis cauſſis, quae et aliis morbis interſunt, pendet. Scirrhos in veros quamquam raro abeunt bubones, tamen ipſe Cl. Auctor et tum in ſuo corpore et in alio ex peſte 1718 graſſante, hoc eſt expertus. Interim rarum hoc eſſe, exinde Noſter coniicit, quod nemo Auctorum, quos legit de peſte, eorum meminit et credit, ſcirrhoſos bubones non tam morbi, quam peruerſae medelae effectus eſſe. In moribundis bubones ſunt fuſci, nigri, cinerei coloris. Sunt et alii tumores, praeter bubones et carbunculos, farciminis inſtar interdum oblongi, alia loca corporis ſimul cum bubonibus et carbunculis occupantes, qualem vidit Noſter in puellae hypochondrio ſiniſtro, et qui, poſtquam ad minoris oui gallinacei magnitudinem excreuit, cum bubone ſub axilla ſimul euanuit. Durante morbo, raro bubones retrocedunt, et, ſi fit, moritur aeger. Liber aer hoc efficit. Buboni retropulſo plerumque ſucceſſit ophthalmia vel petechiae paruae vel vtrumque.

Ex his omnibus patet, bubonem peſtilentem eſſe tumorem phlogiſticum, in ipſo morbi principio natum, profunde latentem et dolentem, plus minusve cum dolore creſcentem, ſubinde ſine ſuppuratione euaneſcentem, ſaepius, vti alii abſceſſus, in eandem abientem. Carbunculorum ortus et ſitus, nec non febris tum praeſens ſunt diſtincta a reliquis abſceſſibus. Carbunculos ſine bubonibus apparuiſſe non credit Cl. Auctor, nec vnquam obſeruauit, bubones ſuperueniſſe carbunculis. Carbunculi omnes partes corporis externas occupant, vt mammam et linguam; de internis tantum ſuſpicatur. In capillata capitis parte vnum vidit, nec non in mulieris cuiusdam genitalibus. p. 73.

bus. Numerus carbunculorum varius eſt. In vno aegro duodecim Noſter numerauit. Omnium maximum vidit in milite, totum hypogaſtrium occupantem, ſanatum tamen, frigoris vero impatiens haec pars erat, hinc hyeme eamdem pelle leporina tegi oportebat. Hydatidibus et cauſticis puſtulis (*Brandblatter*) deſcriptis, carbunculum ita definit, vt ſit peſtilens tumor, ſumme phlogiſticus, ex exili puſtula cum ardoris ſenſu natus, celerrime progrediens, cutem adipemque eleuans, gangraenoſe depaſcens, et, gangraenoſis ſeparatis, vlcus cum ſubſtantiae iactura relinquens. Petechiis paruis, diſcretis, maculisque latiſſimis purpureis, vibicibusque conſideratis, ad peſtis diagnoſin et prognoſin progreditur Cl. Auctor. Diagnoſis certa eſt peſtis, bubonibus et carbunculis apparentibus, cum eius initium ſaepenumero cum aliis morbis conueniat. Quod ad prognoſin ſpectat, haec habet: aeger, qui viribus praeditus quartum diem morbi viuit, plerumque recuperat ſanitatem; lenis et aequalis calor, pulſus fortis, bubones et carbunculi cum leuamine aegri apparentes et leniter ſudantes cum ceſſatione nauſeae et anxietatis bonum pollicentur morbi exitum. Vomitus et alui fluxus ſine virium decremento et petechiae miliares, quarto ſeptimoue die apparentes, nullum vitae minantur periculum. Calor nimius et mitis, vterque malus, peior, ſi eſt inaequalis. Petechiae latae, nigrae ab initio conſpicuae, letales ſunt, ſerius apparentes, vix exitiales. Subita et ingens virium proſtratio cum fatuitate et balbutie coniuncta, letalis eſt. Nullus dolor, ardorque, pulſus vix ſano velocior et debilis, faciei et totius corporis liuor ſummam indicat imbecillitatem ſiue adſint eruptiones, ſiue non. Breuiter, quo ocyus, quo plura, quo grauiora conſpiciuntur ſymptomata, qualia vulgarium morborum funeſtos exitus indicant, eo peius res aegri, peſte infecti, agitur.

His

His praemiſſis, ad caput quartum de curationep. 96.
peſtis venit Cl. Auctor. Naturae motus, peſtiferum miasma expellendi, vtiliſſime verſus cutem fiunt. Quemadmodum nunc Cl. Auctor in toto morbi decurſu ad vires aegri ſedulo attendendum eſſe ſuadet, ſic et hic caute in diaphoreſi excitanda et ſuſtentanda et continuanda verſari oportet. Natura miasma expellit aut ſaltem deponit, vires modo adſint. Quod in bubonibus et carbunculis deponitur, non eſt omne miasma, quod corpori ineſt; reliqua inde eius portio per cutem excernitur. Perfecta miasmatis expulſio per ſe morbum non relinquit: depoſitio vero eſt morbus et expulſionis perfectae ſupplementum. Talis humorum motus vel ad miasma peſtiferum eliminandum, vel ad deponendum aptus eſt, qualis cernitur in continua febre ſimplice. Viribus deiectis, miasmatis exitus impeditur. In ſubita enim morte aut nihil aut valde parum miasmatis expelli vel deponi videtur. Nimius humorum motus miasmatis excretionem et abſceſſuum maturationem impedit. Miasmatis excretioni inſeruiunt materia perſpirabilis ac omnino vires vitales, ſolida iuſte tenſa, humores meabiles. Quo grauiora adſunt diapnoes impedimenta, eo minus exſpectari poteſt miasmatis expulſio et depoſitio. Apoſtemata ſine diapnoe non iuuant. Inde ea tantum ſenſibilis euacuatio prodeſt, quae ad diaphoreſin diſponit. Quidquid tandem ſpaſmos creat et fouet, diapnoen cohibet et miaſmatis expulſionem. His vniverſalibus monitis practicis, ad peſtem ſpectantibus, praemiſſis, traditur methodus medendi, quae in viribus cordis vel excitandis vel deprimendis ac iuſto humorum per vaſa libera motu potiſſimum verſatur. Quapropter medicamenta, quae excitante, ſtimulante, calefaciente, aromatica, antiſeptica, roborante, ſedante neruinaque pollent virtute, vt folia rutae,

ſcordii, aurantiorum, radices angelicae, imperatoriae, ſerpentariae Virginianae e. s. p. camphora, myrrha, moſchus, ambra, opium, acetum, cortex Peruuianus, ſuccinata, acida mineralia, aliaque a Noſtro laudantur. Quibus ſubiunguntur quaedam de venaeſectione atque veſicatoriis. Venaeſectio multo rarius in peſte, quam in morbis acutis habet locum. Prorſus autem Cl. Auctor eam non reiicit. De cortice Peruuiano, quem adeo multi laudant in reſtaurandis neruis, putredine arcenda et in diapnoe ſuppreſſa reſtituenda, ideoque iure in peſte exhibent, monet Cl. Auctor, eſſe periclitandum, num cortex aliquid ſingulare in ſe habeat contra miasma peſtiferum? Atque tum potiſſimum ea ad capienda haec experimenta idonea iudicat corpora, quorum vires non penitus ſunt ſuppreſſae.

p. 146. Tum, quae interdum perturbant criſin, Noſter enarrat. Ac inprimis quidem hic nauſea, vomitus, diarrhoea, praecordiorum anxietas, ſyncope, cardiae ardor, delirium et haemorrhagia, fluxus menſtruus, lochiorum fluxus, qui puerperas, peſte correptas, e medio ſuſtulit, merentur attentionem. Emeſin Cl. Auctor, quam multi in peſte laudant, nocere, abſente craſſa materia, obſeruauit. Haemoptoen, mictum aut aluum cruentam non obſeruauit. Letales pronunciauit haemorrhagias DIEMERBROECKIUS, haemorrhoidibus exceptis, ſi abundans euacuatur cruor.

p. 169. Haec methodus ad adultos ſpectat, iam de tenera aetate, etiamſi eadem methodus et eidem aetati conuenit, pauca monet. Sat conſtans enim eſt Auctorum obſeruatio, teneram aetatem peſte magis, quam adultos affici. Id quod eius teneritas et ſumma irritabilitas, nec non difficultas, ei aetati medicinam faciendi, demonſtrant. Eo igitur inprimis eſt enitendum, vt remedia, quae diaetam potius, quam medicinam ſapiunt, eligantur. Inde cum lactantium praecipuum ſit remedium lac nutricis, diaetam nutricis ordinat eique varia pro rei neceſſitate pro-

propinat remedia. In acidis, infantibus praebendis, magna eſt adhibenda cautio. Tandem multa porro lectu digna de topicis remediis in carbunculis et bubonibus peſtilentialibus, quorum alia reiicit, alia laudat, a Noſtro proponuntur, nos vero pauca tantummodo de carbunculis internis addere poſſumus. HELMONTIUS aliique, cadaueribus apertis, ſe eſcharam, carbunculi effectum, in ventriculo reperiſſe, teſtantur, indeque et DIEMERBROECKIUS alia forſan viſcera etiam ita affici poſſe collegit. Summa anxietas, inquietudo, debilitas, vomitus continuus aegrorum id indicant. Haec autem ambigua cenſet Noſter indicia et putat, dolorem fixum internum, cum ardore coniunctum, magis magisque increſcentem, certius eſſe ſignum interni carbunculi, medelam vero difficilem tum iudicat.

Omnes cautiones, quas arcendae peſtis cauſſa excogitarunt, eo redeunt: vt conſortium cum infectis et ſuſpectis euitetur, dein miasma, ſiue ſit in aere aut in fomite, deleatur, tandemque vt corpus humanum contra peſtis inſultus roboretur. Ac primum quidem obtinetur potiſſimum fuga, per quam vero non omnibus ſeſe a peſte liberare licet, ergo et alia remedia recenſet. Optime proſpicitur ſaluti ſuſpectorum et publicae ſecuritati, ſi primo alterove, quo noſocomia ingrediuntur die, horis matutinis ſudant, dein balneo vtuntur, mundataeque veſtes induuntur, his quarto die reiteratis, ſeptimo die, ſi ſani manent, ſanorum conſortio reſtituuntur. *Quod ſi* enim inquit, *ſic probati homines ſani manent, nihil vetat eosdem ſeptimo die hominum conſortio reſtitui, vt minimum mihi dabitur, viginti dierum moram cum triplici quadruplici ſudatione, balneatione et veſtium alterna mutatione omnem ſecuritatem largituram eſſe, quae hucusque a ſimplici, duplici, immo et triplici quarentana ſine his expectari et obtineri potuit.* p. 193.

p. 210. Miasmatis communicatio his quatuor fit modis: primo, per hominem, peſte laborantem, ſecundo, per hominem ſanum quidem, miaſma tamen peſtiferum exhalantem, tertio, per aerem ſeu vehiculum, peſtiferis halitibus praeditum et quarto, per fomitem, cui res munda applicatur aut immiſcetur. Ad res infectas purificandas commendat aerem liberum, ignem, aquam et ſuffitus. Aer liber atque purus in intima penetrat, vapores imbibit, ſeparat, movet atque diſſipat. Ignis omnia penetrat, expandit, reſerat, diuidit, ſoluit atque mouet. Aqua perficiuntur lotiones, haec vero coagula ſoluit, ſordes abſtergit, diuidit, diluit et aufert. Suffimentis tribuitur inuoluendi et immutandi effectus. Haec quatuor, cautelis quibusdam additis, magis iuuant, quam conſuetudo res, miaſmate peſtifero inquinatas, quam diutiſſime recondendi.

p. 223. Tandem ad corpus humanum contra peſtis inſultus muniendum ſeſe accingit Cl. Auctor. Ac, annonae, munditiei, conuentuum publicorum, nuptiarum, funerum, ſepulcrorum, ſpectaculorum, templorum, fori et ſimilium ratione a magiſtratu habita, omnes cautiones, quae poſſunt et debent adhiberi, in circumſpecto rerum non naturalium vſu cernuntur. Neceſſe itaque eſt, vt earum vſus ita moderetur, quo nec in exceſſu, nec in defectu peccetur. Catharſes et venaeſectiones ſi conſuetudo et neceſſitas vrgeat, non plane reiicit, minime autem iis aeque ac fonticulis vim peſtis arcendae tribuit ſingularem. Fonticulos habentes, peſte perierunt, et lue venerea, hydrope, vlceribus antiquis et ſcabie laborantes, peſte ſunt correpti. Medicamentum, peſtem praeſeruans, nullum nouit Noſter. Fumum nicotianae non contemnit. Sputatio num iuuet, omnino dubium eſſe videtur Noſtro, cum nullum habeat indicium, ex ſaliuae,

cum

cum peſtifero miasmate coniunctae, deglutitione os ſeu ipſum ventriculum topice affectum eſſe, ideoque animi fiduciam conſtantiamque plus valere contra peſtem, quam maſticatoria, arbitratur. Quod ſi vero quis nicotianae et maſticatoriorum vſu ſeſe munire poſſe autumat, vitet ſitim et exſiccationem. Amuletis prorſus improbatis, optimum fore retur, ſi vnusquisque ea vſurpat, quibus cum euphoria ceterum vſus eſt, quae laedant, fugiat.

Cum vero, peſte graſſante, omnibus non queat praeſcribi viuendi norma, nec idonea, quae praeſeruant, praecipi a medicis remedia, conſultum Noſtro videtur, vt talia, qualia non nocent, in officinis pharmaceuticis proſtent, ne plebs ſolo fato et peſtis ſaeuitiei eſſe relicta videatur et vt fiducia et animi tranquillitas, non exiguum aduerſus peſtem praeſidium, eo magis augeantur. Atque hic potiſſimum humectantia, diluentia, reſoluentia, leniſſime ſtimulantia ad ſe et excretiones blande promouendas iuuant. Valde ſtimulantia peſtem potius accerſunt, quam arcent. Aquam, quae calorem et motum humorum temperat, ſolida laxat, emollit, fluida attenuat et demulcet, porro inutilia, noxia, acria, peregrina abſtergit, obuoluit, educit, in prophylaxi valde ſuadet. Conſuetudini autem hic aliquid eſſe tribuendum, exemplo chirurgi probat, qui ab ipſo peſtis initio interfuit aegris, vxoremque in eodem, quo ipſe degebat, conclaui, peſte infectam habuit, ſpirituoſos liquores non contemnens, nunquam tamen ad ebrietatem, nihilominus tamen integra ſemper fruitus valetudine, nec tabaco nec maſticatoriis, quae BRUCKMANNUS, peſtis medicus, a peſte quoque non affectus, etiam neglexit, vſus eſt. p. 243.

XI.

The preſent method of inoculating for the ſmall-pox. To which are added ſome experiments, inſtituted with a view to diſcouer the effects of a ſimilar treatment in the natural ſmall-pox. By THOMAS DIMSDALE M. D. London printed for W. Owen 1767. 8. 10 pl.

i. e.

Methodus inoculationis variolarum nunc vſitata, vna cum experimentis nonnullis ad effectus ſimilis regiminis et medendi methodi in variolis naturalibus detegendos. Auctore TH. DIMSDALE M. D.*).

Cum Cl. huius libelli Auctor non ſolum inter eos ſit, qui nouam illam methodum inſitionis variolarum, quam vulgo Suttonianam vocant, primum feliciſſimo cum ſucceſſu imitati ſunt; ſed et ipſam hanc methodum empiricam ad theoreticas regulas examinauerit, variaque in ea emendauerit; non longius differendum eſſe putauimus, quo minus de hoc opere ad Lectores noſtros referamus.

Agit vero Cl. Auctor primum de aetate et temperamento eius, in quo inſitio fieri debet, annique
p. 9. tempore ad hanc operationem apto. Nullum infantem ante ſecundum annum varioloſo veneno inficit, cum hac aetate pluribus aliis morbis obnoxii ſint, facile ſub variolarum eruptione conuulſionibus corripiantur, omniaque remedia recuſent. Plures quoque puſtulae in eiusmodi infantibus, quam in adultis

*) Prodiit etiam verſio Germanica ſub titulo: THOMAS DIMSDALE *Unterricht von der gegenwärtigen Methode die Kinderblattern einzupfropfen. Nebſt einigen Verſuchen die natürlichen Blattern auf eine ähnliche Art zu behandeln. Aus dem Engliſchen überſezt von* CARL FRIEDRICH TIEMANN, A. M. *Leipzig.* 1768. 8.

tis prodeunt. Ceterum homines omnis aetatis ad hanc operationem apti ſunt. Excludit tamen Cl. Auctor eos, qui inſigni humorum acrimonia aut pluribus diaetae vitiis obnoxii ſunt. Omni quoque anni tempore inſitio fieri poteſt, cautione habita, ne tunc inſtituatur, quando alii morbi epidemici graſſantur, quapropter vernum et autumnale tempus minus idonea huic negotio eſſe iudicat. Iam ad ipſam praeparationem accedens monet, conſilium medici, illam dirigentis in eo verſari debere, vt humorum copia, in iis, qui ea abundant, minuatur, debiliores contraroborentur, tandemque primae viae purgentur. Plethorici nouem vel decem ante operationem dies ſola diaeta vegetabili vtantur, liquoribusque ſpirituoſis et aromatibus omnibus abſtineant, terque pulverem ex granis octo calomel, totidemque granis *pulveris de chelis cancrorum compoſiti* Diſpenſ. Londinenſis, tartarique emetici octaua parte grani, vel ſulphuris antimonii aurati tertiae praecipitationis granis duobus compoſitum, ſumant. Haec doſis, quae adulto dari debet, in debilioribus feminis et infantibus minor, eorumque viribus magis adaptata ſit; quibus etiam diaetam magis nutrientem concedendam eſſe, quilibet perſpiciet. In feminis vt plurimum ſtatim poſt catameniorum effluxum inſitio inſtituatur, vt morbus ante eorum reditum iam penitus ſuperatus ſit. Vidit tamen Cl. Auctor catamenia varioloſum morbum, inſitione excitatum, non peiorem reddidiſſe, imo grauidas, quae grauiditatem diſſimulauerant, ex inſitione abortum non expertas eſſe. p. 17.

Inciſionem ſcalpello inſtituit, quod ſtatim ante operationem materia, ex puſtula alius varioloſi effluente, madefecit. Nullo filo vtitur, neque locum emplaſtro tegit. In puſtulis, quarum pure inſitionem Cl. Auctor inſtituit, eligendis, nullum tempus totius morbi reliquis praeferendum eſſe monet, cum vel a prima

eruptione tenuis lympha, in eiusmodi puſtulis contenta, ſi vulneri immittitur, variolas excitet. Credit quoque Cl. DIMSDALE ſub ipſa febre variolosa prima, tenue pus maiorem actiuitatem habere, quam id, quod in puſtulis, quae iam diutius ſubſtiterunt, inueniri ſolet. Contagii progreſſum, mutationesque in vulnere obſeruandas accuratius deſcribit, cum ex iis prognoſis de natura morbi formari queat. Secundo poſt operationem die, quo vulnus macula aurantii coloris cinctum eſt, medicamentum ex calomel et puluere compoſito chelarum cancri ana granis tribus, tartarique emetici decima parte grani aegro porrigit, eumque in febre, quae eruptionem comitatur, reiterare iubet, alteroque die infuſum laxans ex ſenna, manna et tinctura ialappae exhibet, quo quatuor vel quinque deiectiones ſequantur. Si conſueto tempore nulla mutatio in vulnere obſervatur, puluerem ſupra deſcriptum, ſique aluus non reſpondet, vnciam vnam ſalis Glauberiani exhibet. Huius enim remedii vſus inflammationem et eruptionem accelerat, totumque morbum mitiorem reddit; quo tardius enim vulnus mutatur et eruptio fit, eo difficilioris quoque curationis morbus ſubſequens eſſe ſolet.

p. 30.

p. 35. Iam ad regimen accedimus, quod aegri ſub variolarum eruptione ſeruare debent, in quo noua haec methodus a reliquis hactenus vſitatis vehementer recedit. Simulac enim ſigna febris eruptionis ſe oſtendunt, poſt purgantis operationem abſolutam, aeger in aërem liberum procedere et in eo verſari debet, niſi maxima adſit debilitas vel ſumma tempeſtatis inclementia. Corpus vero in libero aëre aeger exerceat, non quietem ſeruet. Si ſitis vrgeat, frigidam aquam potet. Si languor adſit, paullulum vini vel ſerum lactis vinoſum Noſter concedit, et, eruptione plenarie facta, carnis etiam tenerae

rae vſum. Hoc regimen licet iis regulis, quae ab omnibus aliis circa methodum medendi variolis traditae ſunt, plane ſit contrarium, ſummum tamen aegris vſum praeſtat. Si aluus vel leniter adſtricta ſit, ſtatim purgantia leniora in ipſo morbi decurſu exhibeantur, cum maturatio horum remediorum vſu acceleretur, non retardetur. Si vulneris ſuppuratio longius protrahitur, leni emplaſtro v. c. cerato albo tegatur, purgantiaque leniora exhibeantur.

Varia deinde de ſymptomatibus minus conſue- p. 42.
tis, quae in aegris, variolis artificialibus laborantibus, obſeruantur, Cl. Auctor monet. Si nauſea et vomitus ſub variolarum eruptione accedunt, crebriore aquae calidae potu vel leni emetico vomitum adiuuat, aut laxans porrigit. Nonnunquam exanthema eriſypelatodes variolas artificiales comitatur, quod haud raro confluentes variolas vel petechias mentitur. Quod ſi accidit, aegri domi ſedeant frigidaque aqua abſtineant, lectum vero non petant, ſeroque lactis vinoſo vel alio remedio analeptico vtantur. Nonnunquam vulnus tantum infectionis ſigna p. 47.
oſtendit, febrisque adeſt varioloſa ſine variolis erumpentibus, quo in caſu aegros a contagio omni in poſterum liberos manere, Cl. Auctor obſeruationibus probat. Atque haec praecipua ſunt, quae ipſam methodum concernunt, cuius in vniuerſum praeſtantiam pluribus argumentis probare annititur.

Eadem quoque methodo in variolis naturalibus p. 61.
peſſimae indolis vſus eſt, ſique confluentium metus adeſſet, aëre frigido, remediis antimonialibus et mercurialibus, potuque frigido adhibito, morbum mitiorem reddidit, ita vt ex quadraginta eiusmodi aegris, ne vnicus quidem periret. Eruptione enim hoc regimine retardata, ſemper morbus in naturalibus variolis lenior eſſe ſolet. Sub maturatione puſtularum vnciam ſemis mixturae, ex ſpiritus vitrioli acidi

parte vna, et ſpiritus vitrioli dulcis partibus duabus compoſitae, ad libras tres aquae vel infuſi pectoralis, quo aegri pro potu ordinario vtuntur, addit. Annexae ſunt plures aegrotorum, qui, variolis naturalibus vel artificialibus laborantes, methodi huius praeſtantiam experti ſunt, hiſtoriae, de quibus nihil hic addimus, cum in vniuerſum libelli huius praeſtantia, methodique in eo deſcriptae fama tanta ſit, vt omnino dignus iudicandus ſit, qui ab omnibus, qui medicinam faciunt, ſtudioſe legatur.

XII.

Nytt och nu för tiden antagit Kopp-ympnings-ſätt; jämte några förſök, ſom viſa, at ſamma Methode med framgång blifoit nyttjad i naturliga Koppor, af THOMAS DIMSDALE, Med. Doctor. Öfoerſatt på Svenſka ifrån tredje Engelſka Uplagan. Stockholm, tryckt hos Iohan Georg Lange, 1769. Praeter praefationem pagg. 148.

h. e.

Noua et noſtro tempore recepta variolas inſerendi ratio, cum experimentis, quae docent, eandem methodum in variolis naturalibus probe ſucceſſiſſe, Auctore THOMA DIMSDALE. Verſa in linguam Suecanam ex editione tertia Anglicana.

Memorabilis eſt haec verſio, tam ob Auctorem ſuum Regis Sueciae Archiatrum et collegii medici Praeſidem Ill. BAECK, quam ob praefationem eiuſdem, forma litterarum ad medicum Suecicum quendam, concinnatam. Quum enim ex impenſa

penſa hác a primario regni medico opera, laetiorem ſucceſſum nouae methodi ominari licet: tum magni intereſt, expertiſſimi perſpicaciſſimique viri iudicium de dubiis quibusdam et diſcidio obnoxiis in vrbe variolas inſerendi caſibus cognoſcere, quod ipſum in praefamine tulit. In hoc igitur nobis praecipue ſubſiſtendum eſt.

Ruri inprimis exiſtimat, nouam iſtam metho- Praef.
dum conuenire, vbi parciores ſunt medici, et mul- p. 5.
tis per pagos diſperſis ſimul variolae inſerendae ſunt. Nec putat ibidem noſocomia tanto numero ſuffice-re poſſe. Legimus hic breuiter initium Dimsdalianae artis progreſſumque deſcriptum et ſcripta, quae de illa prodierunt, indicata.

Aegrius Noſter infantes ante aetatem duorum p. 13.
annorum admittit. Praeparationem, quam varii me- p. 14.
dici ſuperfluam iudicant, omitti non vult, ne in hominibus quidem apparenter ſanis; morbosque indicat, in quibus illa plane carere non poſſumus. Remedium autem in hunc finem, vt ſponte liquet, non varium adhibet, ſed ſecundum cuiusuis hominis naturam definit. Ex efficaci aëris renouati et aquae p. 22.
frigidae in febribus putridis vſu, vlterius demonſtrat frigoris virtutem in morbo iſtis affini, variolis, additis dilucidis quibusdam de hac re caſibus variolosis, quos enarrare ſub iſto caloris abuſu, qui ruri adhuc in Suecia obtinet, tanto magis opus fuit.

Praefert cum DIMSDALIO puncturam, lanceola factam, omiſſis vnguentis et emplaſtris, inciſioni et deligationi vulgari. CHANDLERUM tamen erroris arguit, dum praerogatiuam nouae methodi puri tenui et aquoſo tribuit. Reditum vero morbi ob mitem variolarum naturam et exiguum numerum non metuit. Quod autem inſitione praegreſſa denuo in illuſtriſſima coniuge Ducis *de Bouffleurs* p. 33.
eruperint, emplaſtro impoſito tribuendum arbitratur.

Nouam

Nouam autem epocham inſitionis variolarum in Suecia annus 1769 conſtituit, quo ipſo regiae familiae eandem ſubire placuit, quam feliciſſimam futuram patriae ſuae merito Ill. Auctor auguratur.

XIII.

Obſeruationes clinicae ad ductum medicationum in noſocomio generali Varſauienſi. Varſauiae et Dresdae apud Mich. Gröll. Faſcicul. I. 1767. $3\frac{1}{2}$ pl. Faſcicul. II. Praefatur aliqua de ſignis morborum. 1768. 8. min. pl. $4\frac{1}{2}$. c. praef.

Iam antequam Cl. SAUVAGES noſologiam methodicam cum viris eruditis communicauerat, morbos in ſyſtematicum redigere ordinem apud animum conſtituiſſe Cl. Auctorem, qui noſocomio Varſauienſi praeeſt, in praefatione legimus. Rei autem difficultate iam perterritus et Cl. SAUVAGES opere, in quo denominationes et deſcriptiones morborum imperfectas et arbitrarias detexit, prorſus ab hoc conſilio abreptus, mutauit mentem et ſemioticam morborum condere et tradere annititur. Atque hoc ſubinde in his faſciculis praeſtabitur a Cl. Auctore, quorum duos iam examinabimus et quorum quatuor volumen ſiſtent, cui titulum praeponere quodque indice finire Noſter pollicetur.

p. 15. De varĭs febrium ſporadicarum ſpeciebus cum agat in hoc primo faſciculo Cl. Auctor, quaedam de pulſu febricitantium, vt ſigno febris pathognomonico, inſpergit, illumque, a Noſtro curatis aegris, vti ex aliis febris ſymptomatibus luculenter patebat, vere febricitantibus, nullumque prorſus febrilem habentibus pulſum, vt ſignum febris dubium quodam-

dammodo reddit, ita tamen, vt neutiquam aſſerat, febres plane ſine pulſu febrili eſſe, verum fieri poſſe, vt ſaepenumero febre non ſolum in corpore haerente, ſed actualiter laborante, quibusdam temporibus nullus febrilis pulſus adſit, quin ne celer quidem, etiamſi ſola celeritas ad febrilem pulſum definiendum Noſtro non ſufficere videtur. Atque hoc illuſtrat ſynocho paraemaſtica, in qua non ſemper aderat pulſus febrilis, aliisque exemplis.

Criticis diebus defenſis, mentionem facit Noſter ſcabiei periodicae, per corticem Peruuianum curatae, quae per tres annos durans, die ſemper ſeptimo apparebat et, aſthmate relicto, mox ceſſabat, p. 24.

Tetano, ex abuſu ſpiritus vini orto, per venaeſectionem, ad triginta vncias curato, quem tetanum ex ephemerina appellat, miram ſatis conſpirationem obſeruauit Noſter inter icterum et vlcus pedis. Quod ſi bene ſuppurabat, icteritius color dereliquit cutem et, ſuppuratione cohibita, icterus cutem iterum occupabat. Hunc morbum nominat migrationem materiae icteritiae. p. 34.

Viro, tuſſi aſthmatico concutiente laboranti, dedit Noſter ſyrupum nicotianae cum bono ſucceſſu, ac arbitratur, non ſolum nicotianae acre ſcillae et narcoticum opii ſimul ineſſe, ſed et vtrumque in ea quaſi ſuperare. p. 53.

Alter faſciculus complectitur ſigna morborum, quae iam a Noſtro in ordinem ſyſtematicum ſunt redacta. Quorum denominationes aeque ac morborum nomina tanta ſcatent obſcuritate, vt ne temere Cl. Auctor, meliora et clariora eſſe ab iis, quibus diſpliceant, excogitanda, exigat. Id quod vero vt Lectores intelligant, claſſes et ordines ſignorum praecipuas trademus. Claſſis prima *holoptica* (*integralia*) complectitur, quae in *ſomatica* (*habituoſa*), *proſapica* (*vultuoſa*) *phoretica* (*lata*) aliaque diſpeſçun- p. 5.

ſcuntur. Altera claſſis *megacinetica* (*magnalia*) continet, quae in *cyclotica* (*circulatoria*), *ſphygmica* (*pulſatoria*), *proica* (*reſpiratoria*), *vretica* (*vrinaria*) *dynamica* (*actiua*) *algetica* (*dolorifica*) *prattica* (*actoria*) diuiduntur. Claſſis tertia *treplica* (*nutritioſa*) quarta *cryptica* (*interiora*) quinta *autotica* (*peculiaria*), ſexta *typica* (*formalia*) ſiſtit, quarum ordines mittimus. Speciminis loco addit pulſuum enumerationem, atque reſpirationis et vrinae genera. Tempus, quo mingitur, dum attendit, vrinam potus, ſanguinis, iudicii, laboris conſiderat.

p. 30. Tum morbos per aeſtatem in noſocomio obſervatos, tradit, quorum duos liceat commemorare; acineſiae maxillae a ſingulari cauſſa, a ſaliuatione nimirum, minus recte abſoluta, vbi maxilla prorſus non moueri, nec aliter liquores niſi per dentium interſtitia ſorberi poterant; et diſcineſia dolorosa ſimilis, quae erat concretio gingiuarum cum interna ſuperficie genarum. Haec concretio cultro eſt ſublata, qua occaſione Noſter de directione et ſitu fibrarum earumque arcto commercio et neruorum conſenſu diſputat.

XIV.

Specimen inaugurale de duplici febrium indole Praeſide CHRISTIANO GOTTLIEB KRATZENSTEIN. Reſp. et Auctore *Ioanne Clemente Tode*. Hafniae litteris Steinianis 1769. 8. pag. 52. ſine dedicatione.

Cum de febribus in vniuerſum iam multum diſputatum ſit ac profecto magna ſatis, praecipue in iis ſymptomatibus, quae febribus ſunt communia, cernatur difficultas, cumque ſignum illud alias pathognomonicum febris, quod in pulſu celeriori multi

multi ſeu potius fere omnes quaerunt, a nonnullis *) iam quoque in dubitationem vocetur, Noſter, ad febres omnino conſiderandas earumque diuiſiones conferendas accedens, duplicem febrium indolem in hoc ſpecimine inaugurali cum aliis viris eruditis proponere auſus eſt. Cuius perfectior indagatio praeſtantiſſimum iis promittit compendium, quos minus iuuat docte diſtinxiſſe, quam tuto ſanaſſe morbum.

Quanta ſit in frigore, calore, febrilique debili- p. 7.
tate differentia, attendendum eſt. Delirium in febribus admodum eſt diuerſum, in aliis in furioſam audaciam pronum, in aliis deſipientiae et formidini ſimilius eſt. Hoc ſummam prodit debilitatem, illud nimias vires indicat. Praecipua eſt differentia ſymptomatum, cauſſarum atque auxiliorum febrilium et diuerſa indoles. Primum itaque in ſymptomatibus febrilibus ordinandis verſatur Noſter, earumque aſſociatione in his vel illis febribus demonſtrata, duplicem febrium indolem contemplatus eſt, quae in inflammatione et putredine cernitur et inflammationis, puras ac impuras, a Cl. SAUVAGES excogitatae, nititur fundamento; ac omnes omnino febres in inflammatorias et putridas diſpeſcuit.

Antequam haec paulo accuratius a Noſtro inda- p. 19.
gantur, ad cauſſas febrium ſeſe conuertit, quae, cauſſis omnino cum GAUBIO in potentias nociuas et ſeminia morboſa diuiſis, in his potiſſimum duobus ſpectantur: in vi nimirum frigoris tam in ſeminio febribus parando, quam in eo euoluendo, dein in contagio. Haec febrium putridarum, illa inflammatoriarum eſt cauſſa. Nec minus vero ſimile videtur Noſtro, communem febrium cauſſam proximam in ſenſorio communi ſeu origine neruorum, ſtimulo quodam vario modo cum corpore communicato, affecto, eſſe quaerendam. Qui ſtimulus ſi a natura

*) v. ſupra p. 700.

natura ſuſtentatur, inflammatorias, ſi vero a vi morbi et corporis debilitate infringitur, putridas inducit febres.

p. 27. Quod prognoſin attinet, aſſerit Noſter, eandem diſcrepantiam, quae in ſymptomata et cauſſas febrium cadit, ſignis quoque prognoſticis earum ineſſe. Pulſuum robur augeri, vrinas tingi in putridis febribus, non mali ominis eſſe ſolent. Omnino autem in inflammatoriis morbis molimina critica frequentiora ac perfectiora, quam in putridis exſpectari poſſunt.

p. 28. Haec ipſa febrium varietas variam quoque poſtulat medendi methodum. Aliae ſubito poſſunt exſtingui, vt intermittentes, nec paucae continuae; alias vero non ſupprimi oportet, quibus Noſter illas adnumerat, quae ex topico quodam malo, fixius parti inhaerente, proficiſcuntur. Non omnibus cortex Peruuianus, nec laxantia, nec emetica conducunt. Praecipua autem diuerſitas, quae in febribus curandis cernitur, Noſtro illi methodo, quam in earum ſymptomatibus et cauſſis recenſendis, eſt ſecutus, analoga videtur. Omnes omnino enim indicationes viribus vitalibus, quas, ſi nimiae ſunt, caute moderari, ſi languent nimis, excitari oportet, ſunt accommodandae. Haec indicatio in putridis, illa in inflammatoriis febribus habet locum. Id quod ex iuſta iuuantium et nocentium diiudicatione clarius patebit. Minus dubios plerumque effectus producunt ſanguinis miſſio, vomitoria, laxantia, diaphoretica, diluentia, acida, ſalia media, camphora, balnea, veſicatoria, cortex Peruuianus, vinum, moſchus et opium. Venaeſectionis potiſſimum commodis et incommodis in inflammatoriis conſideratis, et corticis viribus in putridis morbis declaratis, de febrium diuiſione ab aliis ſuſcepta quaedam addit.

Inter

Inter quos inprimis nominat IENSENIUM, DE HAEN, SAUVAGES, LINNAEUM et VOGEL. Quas omnes methodos ſuis difficultatibus premi Noſter contendit et phlegmaſiarum diuiſione, a SAUVAGES facta, illuſtrat. Praecipuam vero illam, quam propoſuit Noſter in hac duplici febrium indole, ſymptomatum, cauſſarum et auxiliorum febrilium methodum ſatis intellexiſſe Britannicos medicos demonſtrat ex iis, quae a GREGORY, HOME, WHYTT, HUXHAM, FORDYCE, BROCLESBY, PRINGLE aliisque, maximam partem cum Noſtro in febrium diuiſione conſentientibus, de febribus ſunt dicta. TISSOTVS omnes febres diuiſit in intermittentes, inflammatorias putridasque vel ex his compoſitas. Atque ita arbitratur Cl. Auctor tradidiſſe compendium febrium. p. 41.

XV.

Noua phyſico medica.

Cum medica facultas in Academia, quae *Halae ad Salam* eſt, Cll. BÜCHNERUM *) et IUNCKERUM **) amiſerit, hisque viris mortuis ſit mutata, liceat nobis facultates medicae aſſeſſores nominare, iisque profeſſores extraordinarios medicinae adiungere. Sunt itaque quatuor

Facultatis medicae aſſeſſores

PHILIPPUS ADOLPHUS BOEHMER, medicinae, anatomiae et chirurgiae profeſſor publicus ordinarius, facultatis medicae ſenior, Academiae Caeſareae naturae curioſorum itemque Imperialis Petropolitanae, nec non regiarum Berolinenſis ſcientiarum et Pariſienſis chirurgorum ſodalis.

IOAN-

*) Commentar. noſtr. Vol. XV. p. 365.
**) Ibid. Vol. XVI. p. 165.

IOANNES PETRUS EBERHARD, medicinae, philoſophiae naturalis et matheſeos profeſſor publicus ordinarius, facultatis medicae h. t. Decanus, Academiae Imperialis naturae curioſorum adiunctus, Academiae Electoralis Moguntinae ſcientiarum vtilium ſodalis et ſocietatis Teutonicae Ienenſis membrum honorarium.

ADAMUS NIETZKI, medicinae Doctor et profeſſor publicus ordinarius *).

IOANNES CHRISTLIEB KEMME, medicinae Doctor et profeſſor publicus ordinarius ac academiae Imperialis naturae curioſorum ſodalis.

Profeſſores medicinae extraordinarii

P. L. SUPPRIAN medicinae Doctor et conſiliarius aulicus.

IOANNES FRIDERICUS GOTTLIEB GOLDHAGEN medicinae Doctor **) philoſophiae atque hiſtoriae naturalis ordinarius profeſſor.

IOANNES AUGUSTUS WOHLFARTH medicinae Doctor et Demonſtrator anatomiae.

PHILIPPUS CASPARUS IUNGHANSS, medicinae Doctor et Demonſtrator botanices.

Cum regiae Academiae ſcientiarum ac literarum elegantiorum *Berolinenſi* a Gallo quodam quingentae et trecentae librae Gallicae ſint miſſae ad eum his praemiis ornandum, qui, aſſentiente ei Academia, duas ab eo propoſitas quaeſtiones optime explanabit, non potuit non Academia, eas iisdem verbis, quibus ille hanc rem propoſuit, cum eruditis viris communicare earumque explicationem ab iis petere. Atque ita et nos eas repetimus.

Prima quaeſtio eſt haec: *Quaenam eſt cauſſa differentiae vtriusque apoplexiae, quarum vna (et haec eſt*

*) Comm. noſtr. Vol. XV. p. 710.
**) Ib. p. 367 et 710.

eſt communis apoplexia) *partem tactam motu priuat, altera vero ſolummodo organon ſenſus laedit, dum eius ſenſibilitas aut hebetatur aut tollitur. Eſt porro experientia probatum remedium, quod apoplexiae medeatur, ſiue eius effectus moderari et aegro ſenſum vel totum vel ex parte reſtituere queat.*

Altera quaeſtio ſic ſe habet: *Scire intereſt veras cauſſas illius differentiae, quae in diuerſis animalium generibus inter marem et feminam, ac potiſſimum quidem pilorum et pennarum in quadrupedibus et auibus habita ratione, cernitur.*

Duo haec praemia illi, quem Academia dignum iudicauit, die 30. ianuarii 1772 diſtribuentur. Leges mittendorum commentariorum quod attinet, earum iam in antecedentibus *) fecimus mentionem.

Academia ſcientiarum, inſcriptionum et elegantiorum literarum *Toloſana* haec duo ad praemia 1771. et 1772. reportanda propoſuit. Ac primum quidem cupit Academia, *vt leges retardationis, quam patiuntur fluida in omnibus omnino canalium generibus, indicentur.* (*d'aſſigner les loix du retardement, qu'eprouvent les fluides dans les conduits de toute eſpéce*) Dein optat *Eadem, vt determinetur vtilitas et optima methodus inoculationis variolarum* (*de determiner les avantages et la meilleure methode d'inoculer la petite verole*).

Praemium quingentarum librarum Gallicarum, quod promittitur ab Academia, ex liberalitate ciuitatis Toloſanae ab anno 1745. iam fundatum eſt in emolumentum ſcientiarum atque literarum. Quod attinet ad commentarios Academiae mittendos, rogantur Auctores, vt commentario dictum aliquod ſuperſcribant, et omnino in celandis nominibus et

*) V. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 547.

notandis commentariis eas ſeruent leges, quae apud alias eſſe ſolent ſolemnes academias. Pollicetur autem Academia, ſe nullas ſchedulas obſignatas, praeter eas, quarum Auctores praemio digni ſunt iudicati, eſſe aperturam. Perpetuus huius Academiae ſecretarius eſt Ill. DE REY, cui ſeu alii quoque viro, ſi placet, qui Toloſae habitat, commentarii ſunt mittendi. Tradito vero Academiae per alium commentario, tum teſtabitur Ea, ſeſe recepiſſe commentarium et ſententiam, qua inſcriptus eſt, nec non numerum addet, qui ſequitur.

Miſſis aliis problematibus, ab Academia ſcientiarum literarum elegantiorum et artium *Rothomagienſi* eruditis cum viris communicatis, nec ad nos ſpectantibus, ſolummodo quaeſtionem ex chemicis et phyſicis doctrinis depromptam hic repetimus. Pertinet ad annum 1771 et ita ſeſe habet: *Poſtquam notus eſt argillae in vniuerſum character, chemicae atque phyſicae differentiae earum argillae ſpecierum, quae appellantur boli et terra fullonum, ſunt definiendae.*

(*Après avoir etabli ce qui caracteriſe les argiles en général, déterminer les differences chymiques et phyſiques, qui diſtinguent entre elles celles des argilles, qu'on connoit ſous le nom de bols, de glaiſes* *) *et de terre à foulon*).

Exſpectat vero Academia huius rei explicationem non ſolum ex hiſtoria naturali depromptam, ſed talem quoque, qualem vita communis et artes omnino poſſunt in vſum conuertere. Quae ceterum obſeruanda ſint iis, quibus in hanc rem inquirere placebit, iam in ſuperioribus a nobis ſunt narrata.

Poſt-

*) Verbum *de glaiſes* ideo omittimus in translatione latina, quoniam Galli quidem *argile* et *glaiſe* diſtinguunt, in definiendis autem iſtis argillae ſpeciebus, quibus haec nomina ſunt impertita, non conſentiunt.

Poſtquam Academia ſcientiarum elegantiorum literarum et artium, quae *Ambiani* floret, praemium diſtribuit experientiſſimo DARAILON, medico Monspelienſi, qui problema 1770 propoſitum et deſcriptionem febris miliaris, eius ſymptomata, periodos, ſigna diagnoſtica et prognoſtica etc. *) concernens, ſoluit, aliam mouit quaeſtionem, quae ſpectat *relationem morum Gallicorum ad eorum ſanitatem, a quibus nimirum morbis ii eos liberarunt, et quos novos procrearunt.* (*Quelle eſt l'influence des moeurs des François ſur leur ſanté, de quelles maladies nos moeurs actuelles nous ont délivrés, et quelles maladies nouvelles elles nous ont données*).

Praemium eſt moneta aurea trecentarum librarum Gallicarum, et commentarii ſunt ante diem primum iunii 1771. tradendi Cl. BARON, qui Academiae ab epiſtolis eſt, ita vt ne vlli hac de re oboriantur Academiae ſumtus. Reliqua, quae ſint attendenda, inuenies illo ipſo loco, quem paulo ante indicauimus.

Academia ſcientiarum *Senenſis*, de cuius conſtitutione **) iam alia occaſione ad noſtros Lectores retulimus, haec duo cum doctis viris communicauit 1770 problemata. Ac primum quidem vt definiatur, in votis habet, *quaenam remedia natura habeat ad aerem, vt multorum corporum principium, ac potiſſimum quidem vegetabilium et ſenſibilium, figendum.* Dein explicatu dignum cenſet, *cur ſal in minori quantitate putredinem promoueat, et in maiori copia eam impediat.* Singulae harum quaeſtionum explicationi dicata eſt moneta aurea ducentarum librarum Gallicarum.

Porro *Eadem* vulgauit, praemium quaeſtionis, 1769 datae et ita concinnatae: *quomodo ignis ſit prin-*

*) v. Comment. noſtr. Vol. XV. p. 708.

**) Ibid. Vol. XII. p. 145.

principium multorum, inprimis metallicorum corporum et quo mechaniſmo ille phlogiſticus reddatur, nondum eſſe diſtributum.

Pariſiis ſucceſſit claro et in chemicis rebus verſatiſſimo ROUELLE *), qui ibidem die 3. auguſti 1770 viuere deſiit, eius frater HILARIS MARINUS ROUELLE, chemiae demonſtrator in horto regio, regiaeque ſcientiarum Academiae Pariſienſis et quidem chemicae *Eiusdem* claſſis ſocius. Ad methodum ſuam, ſecundum quam trium regnorum naturae producta auditoribus vult tradere, demonſtrandam, ſcripſit librum, qui inſcriptus eſt: *proſpectus d'un cours de chymie experimentale et theorique* et prodiit ibidem 4.

Hafniae a Potentiſſimo Daniae Rege GEORGIUS CHRISTIANUS OEDER, botanica aeque ac oeconomica doctrina clarus, inter eos, qui Regi a conſiliis, ad aerarium ſpectantibus, ſunt, cum reditu annuo 1200. thalerorum eſt relatus.

Tubingae nactus eſt profeſſionem extraordinariam medicinae CHRISTIANUS FRIDERICUS REUSS medicinae Doctor.

Pariſiis IOANNES IACOBUS D'ORTOUS DE MAIRAN **), Regiae ſcientiarum Academiae Pariſienſis perpetuus Secretarius, et multarum aliarum Academiarum ſocius, multisque ſcriptis, inprimis de ferro et aurora boreali ***) clarus, die 20 februarii 1771. nonageſimo tertio aetatis anno vitam cum morte commutauit.

ADA-

*) V. Comm. noſtr. Vol. VIII. p. 550.
**) Ibid. Vol. VII. p. 182. et Vol. VIII. p. 544.
***) Ibid. Vol. II. p. 216.

ADAMUS LUDOVICUS WIRSINGIUS ſculptor Norimbergenſis ſecum conſtituit, cum iis, qui hiſtoriam naturalem amant, opus communicare, in quo *aues oua* et *nidi* depicta et deſcripta ſunt. Ad hanc rem eo melius et accuratius praeſtandam CASIMIRI CHRISTOPHORI SCHMIEDELII, hiſtoriae naturalis cultoris aſſidui, auxilium expetebat, qui ex ſua collectione non ſolum res ipſas ſuppeditabit, ſed et earum deſcriptiones curabit. Viginti et quinque tabulas, aues earumque deſcriptiones ſiſtentes, primus complectetur faſciculus, totidem tabulas, oua et nidos monſtrantes, continebit alter faſciculus. Singula tabula charta Belgica folio maiori conſtabit viginti quatuor crucigeris. Qui vero ad totum opus ſibi comparandum ſuum profitetur nomen, viginti tantummodo crucigeros ſoluere debet. Iam viginti tabulae ſunt vulgatae cum quatuor plagulis, deſcriptiones in ſe continentibus, et duodecim tabulae nidos repraeſentantes ſine deſcriptionibus.

Memoria GEORGII CHRISTIANI REICHELII, Medicinae Doctoris et in Academia Lipſienſi Profeſſoris Extraordinarii, Ordinis Medicorum Aſſeſſoris, Academiae Imperialis Naturae Curioſorum Socii.

Non rata ergo fuerunt vota, quae pro vita et ſalute REICHELII ſaepe concepimus, quem et literarum amor, et ſors, qua eum diuina prouidentia vti voluit, in hanc voluntatem deduxerant, vt Lipſiae potiſſimum viuere nobiscum, eique academiae et vrbi, cui omnia deberet, reddere haec beneficia vellet. Reddidit vero cumulate, ex quo, abſoluto literarum ſcholaſtico curſu, medicinam inter

nos facere, docere literarum ſtudioſos, ſcribendo-que etiam de aliis bene mereri coepit. Sed non diuturna fuit haec laetitia noſtra, cum eum triſtiſſimum corporis malum in medio curſu abſtulerit, nobisque omnem ſpem vno impetu eripuerit. Itaque nemo noſtrum eſt, quin iacturam nos feciſſe ſentiat, ſuoque modo enitendum arbitretur, vt, ſi quae poſſit, ad commune commodum adferat, ne lugendo tantum amare patriam videatur, ſed vtilium ciuium exempla imitetur. Nos quidem, quibus nihil aliud reſtat, quo ei gratificemur, ſaltem memoria eius recolenda amantiſſimos eius nos fuiſſe declarandum putauimus.

Muelhuſenae natus eſt a. 1727. e CHRISTIANO, chirurgo, et ELISABETA MARESCHALLIA, ibidemque literarum rudimentis imbutus vigeſimo aetatis anno Lipſiam adiit, et medicinae diſcendae cauſa PLAZIUM, BOEHMERUM vtrumque, RUEDIGERUM, HEBENSTREITIUM et LUDWIGIUM audiuit, in philoſophicis autem et mathematicis MUELLERUM, WINKLERUM et KAESTNERUM ſecutus eſt, et cum CHRISTIO humaniores literas tractauit. Secundum haec, cum paulo meliore fortuna vti coepiſſet, Lipſiae vitam omnem exigere decreuit, et ad academiae ſocietatem atque iura legitimis Magiſtri artium honoribus capiendis viam ſibi patefacere, atque vſitata diſputatione veniam docendi conſequi. In ipſa illa medicinae diſcendae occupatione, cuius pars etiam botanicis impenſa fuerat, vacua tamen tempora delineandi arti tribuere ſolebat, cuius tunc idoneus inter nos magiſter fuit, ZINCKIUS. Apud quem cum ita celeriter profeciſſet, vt paucis menſibus poſt nulla magiſtri admonitione egere videretur, per illam ſcribendae diſputationis occaſionem etiam huius generis ſpecimen edere voluit, ideoque *vaſa plantarum ſpiralia*,

ralia, de quibus a. 1758 ſcripſit, ita ſcite depinxit, vt non maiorem doctrinae in deſcribendo, quam artis in delineando laudem deportaret. Inde factum eſt, vt per multos annos nulla apud nos tabula, figuras anatomicas aeri inciſas exhibens, prodiret, quae non a REICHELIO delineata eſſet. Et ſunt plures, incredibili cum diligentia efformatae, iudicumque intelligentium laude comprobatae: non ſolum enim artem tenuit, ſed, quae manu tractabat, ea Ipſe viderat, ſecuerat, curarat, aut ex anatomicis cognouerat, quid et quo modo exprimendum eſſet, in quo morbus aut alia quaedam cauſa a naturae lege diſceſſiſſet, cur ea pars, quae delinearetur, prae ceteris notabilis eſſet. Haud dubie enim ille artifex ceteros ſuperat, qui non oculo tantum atque manu vtitur, ſed rei quoque ſcientia et iudicio manum gubernat. Iam vero captis ita, vt diximus, Magiſtri honoribus, impetrata a Medicorum Ordine venia facere medicinam coepit; et a. 1759 Doctor creatus eſt, defenſa prius diſputatione *de epiphyſium ab oſſium diaphyſi diductione*, quae et ipſa figuris decorata eſt. Vt vero felicitatis fuit, quod nec paucos aegros, nec infauſto ſucceſſu tractauit: ita illud honoris, quod inter ſocios Academiae naturae curioſorum adſcitus eſt a. 1764, quod Lipſiae munus Profeſſoris medicinae extraordinarii a. 1767, et locum in ordine medicorum accepit. Illius muneris adeundi cauſa edidit *experimenta de ſanguine eiusque motu*, quem ipſe microſcopiorum ope obſeruarat, et, qualem in obiecta vitro charta exceperat, lineamentis ita circumduxerat, vt fluentorum globuli, viae, ac varietates ſcite exhiberentur. Locum vero in medicorum ordine comparauit ſibi diſputatione *de oſſium ortu et ſtructura*, a. 1760 edita. Cetera eius ſcripta haec ſunt: *diſputatio de oſſium cylindraceorum fiſſuris*, item *de capitis tumoribus tunicatis*,

poſt cephalalgiam exortis, denique *opera phyſico medica* IOANNIS HUXHAMI recudenda curauit, et, quae eius opuſcula alibi repererat, latina fecit, et huic editioni, tribus tomis comprehenſae, addidit. Corpore vſus eſt robuſto, quod etiam paupertatis oneri, circa vitae academicae initia ferendo, par eſſet, certamque diuturnae valetudinis ſpem faceret. Nihilo minus iam ante ſex circiter annos ſpaſmis vagis vexari coepit, quorum ſigna tamen externa ab adſtantibus vix animaduerti poſſent: imo adeo, cum celeriter finirentur, nec in vllo genere negotiorum aegroto impedimento eſſent, ne periculoſa quidem ei res viſa eſt. Tertio anno poſt creuit malum, iam ſaepius recurrens, iam ſenſus quodam modo ad tempus hebetans; et tamen, inter maioris periculi minas, non ita ſaeuum, vt non redire ſtatim ad negotia aegrum pateretur. Superioris demum anni exitus indubitatis ſignis imbecillitatem ſenſim fracti corporis prodidit: inuaſit enim aegrum ita vehementer, vt, quod praeſertim ab initio licuerat, reniti conuulſionibus nullo modo poſſet, ſed victum corpus iis permittere cogeretur. Ad extremum circa huius anni initia morbus in deliria exitum fecit, primum interrupta, tum continua, inter quae d. 21 ianuarii exſpirauit. Aperto corpore repertus eſt abſceſſus lobi poſterioris ſiniſtri cerebri, et materia purulenta, in ventriculos effuſa, ſatis illa quidem neceſſaria mortis cauſa, ſed ſatis ſimul triſte nobis amicis ſpectaculum. Itaque etſi eum amiſimus, tamen corpori ei, quod miſeram vitam tracturum videbatur, felicitatem tantae miſeriae ſuperatae invidere non audemus.

XVI.

XVI.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1767. prodierunt.

Nouvelle hiſtoire de l'Afrique françoiſe, enrichie de cartes et d'obſervations aſtronomiques et geographiques, de remarques ſur les vſages locaux, les moeurs, la religion et la nature du commerce general de cette partie du monde, avec la deſcription des productions et la poſition des fleuves et rivieres, qui ſervent à la navigation et au commerce de l'Afrique, leurs fondes, leurs diſtances reſpectives et les routes, qu'il faut tenir, pour y naviger; les chemins nouveaux et directs pour les mines d'or et pour l'interieur de l'Afrique; la deſcription des forêts, qui produiſent le gomme, les moyens de rendre l'Afrique vne portion precieuſe à l'état et à la religion; enfin une diſſertation phyſique et hiſtorique ſur l'origine des negres et la cauſe de leur couleur, avec l'expoſition et la refutation des ſiſtemes anciens et modernes ſur cette matiere. Par Mr. l'Abbe DEMANET. à Paris. 12. Vol. 2.

Lettre de Mr. DEMOURS à Mr. A. PETIT en reponſe à ſa critique d'un rapport ſur une maladie de l'oeil, ſurvenue apres l'inoculation de la petite verole, contenant de nouvelles obſervations ſur la ſtructure de l'oeil et quelques remarques generales de pratique, relatives aux maladies de cet organe. à Paris. 8.

Second memoire ſur le projet d'amener à Paris la riviere d'Yvette, dans lequel on conſtate, que cette eau eſt très ſalubre et de la meilleure qualité, ſuivant les experiences les plus exactes et les plus deciſives, faites par les commiſſaires de la Faculté de médecine, lu a l'aſſemblée publique de l'A-

l'Academie royale des ſciences le 12. novembr. 1766. Par Mr. DEPARCIEUX. ib. 4.

GEORG. PHILIPP. DERN diſſ. inaug. de balneis immerſiuis eorumque modo agendi. Argentorat. 4.

Epidemiques d'HIPPOCRATES traduit du gree avec des reflexions ſur les conſtitutions epidemiques; ſuivies de quarante deux hiſtoires rapportées par cet ancien médecin et du commentaire de GALIEN ſur ces hiſtoires. On y a joint un memoire ſur la mortalité des chiens dans l'année 1763. dans la quelle ſont developpées les vues d'HIPPOCRATE ſur les conſtitutions. Par Mr. DESMARS. à Paris. 12.

Eſſai hiſtorique et analytique des eaux et des bouës de Saint Amand ou l'on examine leurs principes, leurs vertus et particulierement l'utilité des etabliſſemens nouveaux, relatifs à leur uſage par le Sieur DESMILLEVILLE. Médecin des Hopitaux du Roi à Lille. à Valencienes. 12.

* * DEISCH *Abhandlung, daß weder die Wendung noch Engliſche Zange in allen Geburtsfällen gänzlich vermieden werden können. 8. m. K.*

* * DIETRICHS *Anweiſung, wie die Würckung des Feuers in den Stubenöfen und Küchen zu verſtärcken und zu vermehren, daß dadurch eine beträchtliche Menge Holz erſparet werden könne. Berlin. 8. m. K.*

Parochus non iurans, quatenus in ſola aegrotantium cura ſpirituali fuit occupatus. Auctore IO. CHRIST. DIETZ. Gieſſ. 8.

The preſent method of inoculating for the ſmall pox; to which are added ſome experiments inſtituted with a view to diſcover the effects of a ſimilar treatment in the natural ſmall-pox. By THOMAS DIMSDALE M. D. the ſecond edition. Lond. 8.

Hiſtoi-

Hiſtoire exacte ou deſcription complette des os du corps humain, où l'on trouvera toutes leurs parties clairement et très exactement décrites, de même que l'uſage de chacune en particulier ſoigneuſement indiqué. Ouvrage utile aux étudians en chirurgie et en anatomie. Par F. M. DISDIER. Troiſieme edit. revue, corrigée et augmentée par l'Auteur et enrichie de figures en taille douce. Tom. I. II. à Paris. 12.

IACOB FRIEDRICH DÖHLERS *Abhandlung von der Landwirthſchaft und deren Zuſammenhang zum Gebrauch academiſcher Vorleſungen. Jena. 8.*

IOSEPH DOERNER diſp. inaug. de corpore animali chemiſta. Argentorat. 4.

WALTHER VON DOEVEREN *Verſuche über die Empfindlichkeit und Reizbarkeit der thieriſchen Theile. Aus dem lateiniſchen überſezt von* D. CARL CHRISTIAN KRAUSEN. *Leipz. 4.*

Le botaniſte François comprenant toutes les plantes communes et uſuelles diſpoſées ſuivant une nouvelle methode et decrite en langue vulgaire. Par Mr. BARBEY DUBOURY Doct. en médecine de la faculté de Paris. à Paris. 12. Voll. 2.

Traité phyſiologique et chymique ſur la nutrition; ouvrage, qui a remporté le prix de phyſique de l'Academie royale des ſciences et belles lettres de Berlin en 1766. par Mr. DURADE DE GENEVE. ib. 12.

Gründlicher Unterricht von den affectibus venereis *oder den ſo genannten Galanterie-Kranckheiten, wie ſolche ohne alle* mercurialia, *ohne Holztränckе, Schwitzcuren und Salivation, dergeſtallt ingeheim zu curiren ſind, daß niemand etwas davon gewahr wird und der Patient dabey ſeine ordentlichen Geſchäffte ohne ſich inne zu halten, ungehindert verrichten kann, mitgetheilt von* I. G. Æ. *Franckf. und Leipzig. 8.*

IO. PETR. EBERHARD *erſte Gründe der Naturlehre. 3te ſtarck vermehrte und verbeßerte Auflage. Halle. 8. m. K.*

Eiuſd. diſſ. inaug. de pulſu vt ſigno fallaci. Reſp. *Otto Chriſtian Bong.* ib. 4.

Eiuſd. diſſ. inaug. de ſubmerſorum vita reſtituenda. Reſp. *Henr. Aug. Kunſt.* ib. 4.

Abhandlung von den Nutzen der Schlackenbäder mit einer Zugabe ausgefertigt von M. FRIED. LUDWIG EISFELDT. *Quedlinb. 8.*

IOH. THEODORS ELLERS *ausübende Arzneywiſſenſchaft oder practiſche Anweiſung zu der gründlichen Erkenntniß und Cur aller innerlichen Kranckheiten des menſchlichen Körpers. Berlin und Stralſund. 8.*

IOH. ELLIS *Verſuch einer Naturgeſchichte der Corall-Arten und anderer dergleichen Meercörper, welche gemeiniglich an den Küſten von Groß-Britannien und Irrland gefunden werden; nebſt der Beſchreibung eines großen Büſchel Polypen, welcher in dem Eißmeere gefangen worden. Aus dem Engliſchen und Frantzöſiſchen überſezt und mit Anmerckungen auch einem Anhange fünf hieher gehöriger Abhandlungen der Herren* SCHLOSSER, BASTER *und* ELLIS *begleitet von* D. IOH. GEORG KRÜNITZ. *m. 46. K. Nürnb. 4. mai.*

CHRISTIAN EHRENFR. ESCHENBACH *Grundlage zum Unterricht einer Hebamme, zwote vermehrte Auflage. Roſtock und Leipz. 8.*

Eiuſd. progr. de morbis ſupranaturalibus penſum I. II. proponens. Roſtoch. 4.

IOH. LEONH. EYRICHS *Plan der Fränkiſch phyſicaliſch oeconomiſchen Bienengeſellſchaft. Anſpach. 8.*

Eiuſd. Entwurf der vollkommenſten Bienenpflege für alle Landes-Gegenden. Leipz. 8. m. K.

Precis

Precis de la chirurgie pratique, ou l'on donne d'après les plus grands maitres, la plus ſure methode d'operer, avec des obſervations et reflexions ſur la conduite, que les praticiens doivent ſuivre dans les maladies les plus importantes par Mr. F***. à Avignon. 12. Voll. I. II.

Inſtructions importantes au peuple ſur l'oeconomie animale contenant une definition générale de toutes les parties du corps humain, leur mechaniſme et les differentes maladies, dont elles ſont ſuſceptibles avec les remedes les plus propres à les guérir. Servant de ſuite a l'avis au peuple ſur ſa ſanté de Mr. TISSOT, par PHILIPP FERMIN. à la Haye. 12.

IO. BERNH. DE FISCHER de febre miliari purpura alba dicta, e veris principiis eruta et confirmata tractatus per longam experientiam collectus. Rigae. 8.

IOH. CLAUDIUS FLACHAT *Unterſuchungen zur Beförderung der Handlung, Künſte, Handwerker, Haushaltung und Cameralwiſſenſchaft auf ſeinen Reiſen durch einen Theil von Europa, Aſien und Africa angeſtellt. Aus dem Frantzöſ. 1 Th. Leipzig. 8. m. K.*

Eſſay ſur le pouls, par rapport aux affections des principaux organes, avec des figures, qui repreſentent les caracteres du pouls dans ces affections; ouvrage augmenté d'un abrégé de la doctrine et de la pratique de SOLANO d'après les livres originaux et autres ouvrages Eſpagnols, et d'une diſſertation ſur la theorie du pouls traduit du latin de Mr. FLEMMING. Par Mr. HENRI FOUGUET Doct. en Médecine à Montpellier. 8.

Leçons ſur l'oeconomie animale par SIGAUT DE LA FOND. Tom. I. II. à Paris. 12.

FELIX FONTANA ricerche fiſiche ſopra il Veleno della vipera. In Lucca. 8.

Let-

Lettera ſull epididime da FONTANA. Siena. 4.

Eiuſd. epiſt. de irritabilitatis legibus. ib. 4.

Dictionnaire inſtructif, ou l'on trouve les principaux termes des ſciences et des arts, dont l'explication peut etre utile ou agreable aux perſonnes, qui n'ont pas fait des etudes approfondies par Mr. FORMEY. Halle. 8. mai. Voll. II.

Principes et obſervations economiques par Mr. DE FORBONNOIS. Amſterd. 12. Voll. II.

IO. PETR. XAVER. FRANCKEN diſſ. inaug. de ſolutione reguli et vitri antimonii in diuerſis vinis hic loci cognitis. Vienn. 8.

IO. GOTTFR. GALLESKY *Abhandlung von Miſerere oder von der Darmgicht nebſt einigen Bemerckungen von den heilſamen Kräften des Leinöls in dieſer Kranckheit. Mietau und Riga. 8.*

EDUARD. GANT diſſ. de variolis. L. B. 4.

Obſervations ſur la meilleure maniere d'inoculer la petite verole par Mr. I. G. GARDANE. à Paris. 12.

Nouvelles reflexions ſur la pratique de l'inoculation par Mr. GATTI. à Bruxelles. 12.

HIERON. DAVID. GAUBII libellus de methodo concinnandi formulas medicamentorum. Edit. tertia iterum reuiſa et accurata. L. B. 8. mai.

Collection des plantes uſuelles, curieuſes et etrangeres, ſelon les ſyſtemes de Mr. Mr. TOURNEFORT et LINNAEUS tirées du jardin du Roi et de celui de Mr. Mr. les apothicaires de Paris; gravées et inprimées en couleur et en leur forme naturelle avec leurs fleurs, leurs fruits, leurs graines et leurs racines d'uſage. Par Mr. GAUTIER D'AGOTY. à Paris. fol.

IO. CAROL. GEHLER diſp. inaug. de vtero, ſecundinas expellente, ſectio altera practica. Reſp. *Carol. Aug. Seiler.* Lipſ. 4.

Traité

Traité ſommaire des coquilles, tant fluviatiles, que terreſtres, qui ſe trouvent aux environs de Paris par Mr. GEOFFROY. à Paris. 12.

Eiuſd. kurze Abhandlung von Conchylien, welche um Paris ſowohl auf dem Lande, als in ſüßen Waſſern gefunden werden. Aus dem Franzöſiſchen überſezt und mit einigen erläuternden Zuſätzen vermehrt durch FRIEDR. HEINR. WILHELM MARTINI M. D. *in Berlin. Nürnb. 8.*

MARTIN GERBERTS *Reiſen durch Alemannien Welſchland und Franckreich. Ulm, Frankf. und Leipz. 8. mai.*

IO. GESNER phytographiae ſacrae generalis pars practica ſeptima. Turici. 4.

Proeve over de voornaamſte langduurige gezwellen door DAVID VAN GESSCHER chirurgyn te Amſterdam. 8.

CARL AUGUST GEUTEBRÜCKS *geſammleter Unterricht von Schafen und Schäfereyen zum Behuf der dabey vorkommenden oeconomiſchen Policey und Cameral-Geſchäffte 2ter Theil. Leipz. 8.*

PAUL DIETER. GISEKE diſp. inaug. ſiſtens ſyſtemata plantarum recentiora inſtar ſpeciminis commentarii ad IO. HERRM. FÜRSTENAU deſiderata materiae medicae. Gotting. 4.

IO. GOTTLIEB GLEDITSCHS *Anleitung zu einer vernunftmäßigen Erkenntnis der rohen Arzneymittel. Berlin. 8.*

Eiuſd. vermiſchte phyſicaliſche botaniſch öconomiſche Abhandlungen. 3ter Theil. Halle. 8. m. K.

Voyage en Siberie, contenant la deſcription des moeurs et uſages de peuples de ce pays, le cours des rivieres conſiderables, la ſituation des chaines de montagnes, des grandes forêts, des mines, avec tous les faits d'hiſtoire naturelle, qui ſont particuliers à cette contrée, fait aux fraix du

Gouvernement Ruſſe par Mr. GMELIN Prof. de chymie et botanique. Traduction libre de l'original Allemand par Mr. DE KERALIO. à Paris. 12. Voll. 2.

A practical treatiſe on wounds and other chirurgical ſubjects. By BENJAM. GOOCH. Lond. 8. mai.

AUG. POLYCARP. LEBERECHT GOENNER diſp. inaug. de praeternaturalibus vaſorum diſtenſionibus particularibus. Hal. Magdeb. 4.

IO. DE GORTER praxis medicae ſyſtema reuiſum et auctum a DAVID DE GORTER, IO. fil. Acceſſit Auctoris biographia. Harderovic. 8. mai.

DAVID. DE GORTER flora Belgica, exhibens plantas per foederatum Belgium creſcentes. Traj. ad Rhen. 8. mai.

GOULARDS *chirurgiſche Wercke. 2. Bände. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt (von M.* WICHMANN) *mit einer Vorrede von D.* ZACHAR. VOGEL. *Lübeck. 8.*

GEORG. LUDOV. GRAETER diſſ. inaug. tradens doctrinam de venenis in genere. Argentorat. 4.

IO. SAMUEL. A GREYERS diſſ. inaug. ſiſtens caſum de excreſcentia adipoſa, glandulis ſcirrhoſis referta. ib. 4.

Lettera del Dottore CARLO ALFONSO GUADAGNI all PIERRO GAETANO GRIFONI ſopro una nuova ſtruttura di un barometro portatile. Piſa. 4. c. fig. aen.

Eſſai chymique ſur une preparation mercurielle par Mr. GUESNON. Rouen. 12.

Nodige en volſtandige artſenykundige onderwyzinge uit de beſte artſenykundige ſchriften by een verzaameld in een gepaſte orde gebragt, en ten nutte van 5 Neerlands gemeenebeſt in't daglicht geſteld door MATTHYS VAN DER HAAGE.

